Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Paraphrasis Psalmorvm Davidis Poetica

Buchanan, George
Flaminio, Marco Antonio

[Argentorati], 1582

urn:nbn:de:bsz:31-127882

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

60 A 544

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

è un
Autore
molto celebre.

40 +.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

PARAPHRASIS

PSALMORVM DAVIDIS POETICA,

NVNC PRIMVM EDITA,

Authore Georgio Buchanano Scoto, poëtarum nostri sæculi facilè principe.

HIS ADIECIMVS M. ANtonij Flaminij argumenta, in singulos Psalmos.

Annotata vbiq; diligenter carminum genera.

Ex Libris Johannis ab Houet Lubecensis.

Cum gratia & priuilegio Imperali.

Excudebat Iosias Rihelius.

M. D. LXXXII.

AK

60 A 544

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK KARLSRUHE

ZU

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

ADMARIAM ILLVSTRISSIMAM SCOTORVM REGINAM,

Georgij Buchanani Epigramma.

NYmpha, Caledoniæ quæ nunc feliciter oræ
Missa per innumeros sceptra tueris auos,
Quæ sortem anteuenis meritis, virtutibus annos,
Sexum animis, morum nobilitate genus:
Accipe (sed facilis) cultu donata Latino
Carmina, fatidici nobile regis opus.
Illa quidem Cyrrha procul & Permeßide lympha,
Penè sub arctoi sydere nata poli.
Non tamen ausus eram, malè natum exponere fœ-
(tum,
Ne mihi displiceant quæ placuere tibi.
Nam quod ab ingenio domini sperare nequibant,
Debebunt genio forsitan illa tua.

LVDOVICI CASTEL-
VETRI IN GEORGIVM BVCHANANVM.

VAtis Idumæi sacro quòd percitus œstro
Exprimis Ausonia carmina culta lyra,
Non tibi quas soluat dignas pro munere grates,
Romanus, quamuis maximus, orbis habet.
Diuinis nam si qua fuit vox auribus apta,
Per te illa alloquitur concelebratq; Deum.

INCERTI AVTHORIS in eundem.

Ludicra Christicolæ ponant: Aeneide maius
Exit opus, celebri maius & Iliade.

HEN.

HENRICI STEPHANI IN EVNDEM.

ECCE Caledonia Maro, Naso et Flaccus in ora,
Pro Ioue nunc discunt posse sonare Iouam.

EIVSDEM.

Dauidis hîc corpus, sed rectum veste Latina,
Quæ picta est Flacci, picta Maronis acu.

EIVSDEM.

Assere te authorem: collatas Zoilus inquit
Vatibus à priscis hoc operas in opus.

EIVSDEM.

Oras si repetat superas Maro, te sibi iuret
Heroum tandem surripuisse pedem:
Reddita si fuerit lux Flacco, iuret & ille
Te lyricos numeros surripuisse sibi.
Fallor ego: & potius stupefactus credet vterque
Se quondam numeros surripuisse tibi.

EIVSDEM.

Legerat hoc Phœbus, turba comitante sororum,
Carmen: at incertus carminis author erat.
Miratur Phœbus, Musæ mirantur & ipsæ,
Iamq; alio metuunt abs Helicone sibi.

Tum Phœbus, Vates priſcos agnoſcite, ritus
Qui didicêre nouos, dedidicêre meos.

EIVSDEM.

Quærebam Bucanane, tibi quis & vnde dediſſet
Nomen, & an Graia hæc vox foret, an Latia.
Inuenta eſt tandem mihi nominis huius origo:
Ex re hoc, diuino nomine, nomen habes.
Et quicunq; ex re te nomen habere negabit,
Quid βυκάνη Græcis, ſe quoq; ſcire neget.

EIVSDEM.

Cur non vel prius hæc donaſti carmina luce,
Vel non perpetuis obruis hæc tenebris?
Tot vatum labor ecce perit Germania nobis,
Gallia quos nobis, quos dedit Auſonia.
Carmina tot vatum, tam longo ſcripta labore,
Siccíne tam facilè deleat vna dies?
Namq; ea quis voluet, Cereris niſi fruge reperta
Gaudeat iligna pellere glande famem?
Verùm quàm malè tu famæ nunc conſulis horum,
Tam benè dicêris conſuluiſſe tuæ.

EIVSDEM.

Fruſtra hæc Dauidis conati reddere multi,
Conatus contrà vicit at iſte ſuos.

EIVS-

Hunc erga Hebræum miracula maxima vatem
Ediderat mundi maximus ille parens.
Quis non obstupuit iuuenilibus acta lacertis
Saxa neci vastum posse Giganta dare?
Quis non attonitus tanti fastigia regni
Ex humili vidit prosiluisse casa?
Quis non attonitus fundentem oracula vidit
Qui modò lanigeras pastor agebat oues?
Hoc in vate igitur diuina potentia quondam
Virtutis dederat tot documenta suæ:
Non contenta istis, en nostro rursus in æuo
Miraclum antiquis addidit illa nouum:
Nam quò Musarum tenuis perlapsa nec aura,
Hîc pandit vati nunc Helicona suo.
Hîc sacra Calliope, sacer est hîc, lector, Apollo:
Castalis hîc sacra est, hîc sacer est Helicon.
At dum tu nobis Buchanane profana sacrasti,
Sacrasti sæclis te quoque perpetuis.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS IVDICIVM DE VERSIONE Buchanani.

PSalterium verterunt Germani aliquot piè: Itali, vt solent, eleganter: in primis Flamminius. Sed nunc omnium industriam vicit Georgius Buchananus Scotus, varietate sententiarum, & puritate sermonis.

CITHARAE DAVIDICAE ENCOMIVM, M. GEORGII CALAMINI SILESII.

ORphea suspicimus: magnum miramur Homerum:
Et vena culti permouet nos Pindari.
Argolicaq; lyræ Flaccus ferit æmulus aures:
Dum barbito cantat latino Lydiam.
Impius, hos auida verò qui mente poëtas
Euoluit: & tractare Ießiden piget:
Qui coluit casto diuinam pectore Musam.
Vanus Poëtis est profanis spiritus:
Hoc agitante docent, quid honestũ, quidue sit æquũ:
Natura quam cuique indidit scientiam.

At

At pius incaluit cœlesti numine Vates:
Efferret Hebræa Iehouam cum chely:
Carminis est author diuini spiritus oris:
Ex regio dictauit illud organo.
Linguaq̃, mensq̃ viri, calamusq̃, fidesq̃ canoræ,
Hæc sunt ministri numinis ter maximi.
Iam consulta Dei: pulsisq̃ latentia chordis
Lætus recludit Dauides mysteria.
Iam canit ætherea delapsam à sede salutem:
Et ex sua radice Meßiam satum.
Iam citharæ lacrymas, & lamentabile carmen
Edunt: Virûm cum dira conspiratio
In caput innocuum pleno vomit ore venenum:
Cum dente mordaces Deum infestant canes.
Cum tauri immanes, truculentaq̃ turba Leonum
Compagines laxant perempti corporis.
Iam Pæana Deo dicit, lætosq̃ triumphos:
Redeuntem in auras excipitq̃ nablijs.
Iam sequitur cantu Christum sua regna petentem:
Cum morte iam victa referret nos patri.
Iam videt adflari radianti numine gentem,
Quam voce Meßias vocauit gratiæ.
Nil tam vile fuit, nil post memorabile visum,
Quod præscius non ante Psaltes viderit.
Historicus ne sit, aut Vates rudis ambigat ætas,
Quam temporum latent adhuc discriminà.

Historicum vatem sit eum fas nomine ferri:
Oraculorum quod meretur veritas.
Sit mihi Doctorem fas appellare, seuerum
Vitæ Magistrum, mæsti asylum pectoris.
Ille viam signat, quæ nos super æthera ducat:
Et quæ gehennæ ardente nos claudat specu.
Iustitiam docet esse Deum, nostramq; salutem:
Cum verme nos, vmbra & fugaci comparat.
Iam tonat ore, micant oculisq; minacibus iræ:
Et fulminantem crimina attrahunt Deum:
Contritos animos sanat clementia linguæ:
Et roborat solatijs fiduciam.
Cum furit infernus: vis sæuit & improba lethi:
Vermes cor arroduntq; conscientiæ:
Cum dolor ex morbo, grauis aut cor adurit egestas:
Aut nos Tyrannorum premunt iniuriæ:
Tunc reuocant vires præconia Regis: & ægram
Animam Israëlis riuuli refrigerant.
Vult nos continuis venerari numina votis:
Siue ingruat vicißitudo casuum:
Siue dies nostros fors expectata secundet.
Grates quoque authori bonorum vult dari.
Vult resona linguæ nos laude resoluere plectrum:
Summi & patris benignitatem extollere.
Quid res cunq; ferunt duræ, vox Dauidis ore
Repetita nostro vel fugat, vel mitigat.

Flexilo-

Flexiloqua ludunt ambage oracula, nostris
Quæ stulta seclis prodidit gentilitas.
Hæc in tergemino cœli sunt scripta senatu:
Verumq́ grandi spiritu simplex docent.
Maiestate tonant, mixtoq́ lepôre loquuntur:
Sacri eloquens sunt spiritus sapientia.
Quod si cuncta Dei decreta, quod absit, obirent:
Superesset hic & codicillus naufragus:
Sufficeret solus nostræ velut ara saluti:
Ad quam daremus vota Christo supplices.
Felices igitur, quos tanta scientia flectit:
Et perplacere hunc sentiunt vatem sibi.
Felices operæ casta qui mente laborant
Canentis illustrare Vatis Musicam.
Solus hic omnigenæ recipit discrimina linguæ:
Natiuæ alit quam suauitatis gratia.
Mirus inest Graiæ nitor & dulcedo Camœnæ:
Versis suum quæ pauculis fontem exprimit.
Grandiloquente grauis certat cum rege Lutherus:
Germaniæ quem donat interpres suæ.
Hunc anima authoris transfusa videtur in vnum:
Diuinitatem spirat æternus labor.
Flexanimam Galli citharam vertentis omitto:
Et fama linguas sola quas mihi prædicat.
Numen habet Romana chelys: quantumq́ diurno
Apolloni nocturna cedunt sidera:

Tantum

Tantum dant Latij Vates quoq; Buchanano
Cedunt q; maiestati & elegantiæ.
Quem cum Rihelius typica sæpe arte recudit:
Interpretem miramur vnum hunc Teuthones.
Dauidis ergo iuuat noctu quem Musica: mecum
Probet ille Romanæ vetustatem Lyræ.

FINIS.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

GEORGII BVCHANANI PARAPHRASIS IN PRIMUM librum Psalmorum.

PSAL. I. *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, &c.*

ARGVMENTVM.

In quo beata vita sit vates pius
Hoc disserit poëmate,
Bonumque felicem esse, contraq; improbos
Fore omnium miserrimos.

CARM. GENVS. I.

FElix ille animi, quem non de tramite recto,
Impia sacrilegæ flexit contagio turbæ:
Non iter erroris tenuit, sessorue cathedræ
Pestiferæ, facilem dedit irrisoribus aurem:
Sed vitæ rimatur iter melioris, & alta
Mente Dei leges noctesq; diesq; reuoluit.
Ille, velut riguæ quæ margine consita ripæ est
Arbor, erit: quam non violento Sirius æstu
Exurit, non torret hyems, sed prodiga læto
Prouentu beat agricolam: nec flore caduco
Arridens, blanda dominum spe lactat inanem.
Non ita diuini gens nescia fœderis, exlex;

Contemptrixq̃ poli: subito sed turbine rapti
Pulueris instar erunt, volucri quem concita gyro
Aura leuis torquet celeri ludibria vento.

Ergo vbi veridicus iudex in nube serena
Dicere ius veniet, sceleriscq̃ coarguet orbem,
Non coram impietas mœstos attollere vultus,
Nec misera audebit iustæ se adiungere turbæ.
Nam pater æthereus iustorum & fraude carentum
Nouit iter, sensumq̃ tenet: curuosq̃ sequuta
Impietas fraudum anfractus scelerata peribit.

PSAL. II. *Quare fremuerunt gentes? &c.*

ARGVMENTVM.

Poëta coniurationem præcinit
In Christum Hebræ gentis, ac regnum ipsius.

CARM. GEN. 2.

Quid trepidæ gentes, vano fremuere tumultu?
Minisq̃ populi sæuiunt inanibus?
Et cum principibus magni coiere tyranni,
Dominumq̃, Christūq̃ Domini aduersum truces?
Vincula quin horum fortes dirumpimus, (aiunt)
Et lora nostris demimus ceruicibus?
At pater æthereus, rerum cui summa potestas,
Ridebit impotentium irritas minas.
Tum iusta accensus miseros affabitur ira,
Et per furorem cæca consilia suum
Turbabit: Cingamq̃ meum diademate regem,
Inquit Sionis iura sanctis collibus

Qui

Qui dabit, & latè fundet mea iussa per orbem.
Deinde allocutus Dominus est me, Filius
Tu meus es, genui te hodie: me posce, daboq;
Omnes vt hæres gentium fines regas,
Qua circumfusis tellus se porrigit vndis,
Regasq; sceptro sempiternùm ferreo:
Quumq; voles, tumidosq; premas, frangasq; rebelles,
Vt ficta fragili vasa franguntur luto.
At vos, in populos quibus est permissa potestas,
Et ius ab alta sede plebi dicitis,
Errorum tenebras depellite, discite verum:
Seruite Domino cum tremore: gaudijs
Et timor & Domini accedat reuerentia vestris.
Vt missum ab illo filium amplectamini:
In vos ne iustæ vindictam exerceat iræ,
De calle recti deuios. nam quum breui
Sæuiet iniustos contra iusta ira, scietis
Quàm sint beati spes in illo qui locant.

PSAL. III. Domine quàm multiplicati, &c.

ARGVMENTVM.

Gentis suæ rebellione questus hoc
Hymno in Deo spem collocat.

CARM. GEN. 3.

HEV quanta numero viribusq; factio
Me vexat odijs impijs!

Quàm perditorum firma conspiratio
Coniurat in meum caput!
Et asseuerant spem salutis in Deo
Superesse iam nullam mihi:
Quum tu sub vmbra præliantem me tui
Tam sæpe scuti texeris:
Quum laudis auctor sis meæ, quum gloria
Meum corones verticem.
Quum nocte Dominus inuocantem me, suo
De monte sancto exaudiat,
Curis solutus & recumbo & dormio,
Resurgo liberà metu,
" *Domino excubante, nec meum formidine*
" *Pectus mouebunt agmina*
" *Numerosa, nec si sæua feritas omnium*
" *Coniuret in me gentium.*
Tu Domine in aciem ductor, vt me liberes,
Prodibis: hostium omnium
Malasq; franges, impiorum & conteres
Dentes potenti dextera.
At tu, salutis vna spes, populum tuum
Bonitate solita amplectere.

PSAL. IIII. Quum inuocarem, exaudiuit me Deus, &c.

ARGVMENTVM.

Euectus in thronum fero extincto (arbitror) Saule, & Dei benignitatem prædicat,

Ee

Et suadet hostibus suis, tandem ducis
Vt pareant iussis Deo carissimi.

CARM. GEN. 4.

O Pater, ô hominum, diuûmq; æterna potestas,
Synceræ mihi conscie mentis,
Qui mihi consiliŷq; inopi, incertoq; salutis,
Imploranti rebus in arctis,
Tutum pandis iter, latumq; educis in æquor:
Nunc obsesso fraude maligna
Da mihi te facilem, & iustis bonus annue votis:
Non dura placabilis aure,
O hominum cæcæ mentes, quo me vsque relicto
Intenti mendacibus vmbris,
Sollicita in vanas torquetis pectora curas?
Tandem credite vera monenti:
Quem Deus electum miro dignatur honore,
Per discrimina cuncta tuetur,
Me Dominus clamantem ad se, auxiliumq; rogan-
Mitis & exorabilis audit. (tem
Ergo Dei, miseri nunc saltem agnoscite numen,
Et vitŷs absistite prauis.
Vobiscum in tacito per noctem expendite lecto
Longi dicta ac facta diei.
Non pecudum fibris Domino sed mente litatur
Innocua: si admoueris aris
Hanc poteris sperare animi securus ab alto
Dextra munera larga benigna.
Poscit opes modò degeneres pars maxima vulgi,

Hæc animos vota vna fatigant:
At tu me placido tantùm bonus aspice vultu:
Aura tui iucunda fauoris
Me super irradiet: sat amico te mihi felix.
Alter frugibus horrea stipet,
Impleat & multas generoso nectare cellas,
Et congesto gaudeat auro:
Ast ego, curarum vacuus de nocte recumbam,
Et sine sollicitudine somnos
Accipiam: tu securam mihi robore mentem,
Tu certa spe pectora firmas.

PSAL. V. Verba mea auribus percipe, &c.

ARGVMENTVM.

Opem Dei implorat ferum in Saulem nimis Sibi, & Deo aduersarium.

CARM. GEN. 5.

O Potens rerum Deus, aure leni
Mitis exaudi mea verba, mentis
Mente non dura tetricusq́; tristes
Percipe questus.
Adspice attentus, mihi quanta tendat
Vox latus: quando mihi rex Deusq́;
Solus es, solum veneror precorq́;
Rebus in arctis.
Manè clamantem Deus æquus audi.
Nam tuum casta prece, non inanem
Spem fouens, nomen iubar ante Eoum
Manè ciebo.

Tu Dēus, lætus pietate vera,
Impij ritus ſcelus execraris:
Nec frui praui ſtudioſa mens te
Speret amico.
Vis tuos vultus metuit, nefasq́:
Hoſtis es fraudum & cupidæ cruoris
Cædis: audacem ſimulare linguam
Falſa recides.
At tua fretus bonitate ſacrum
Limen accedam, tua templa inibo:
Ritè adorabo tua ſancta caſtis
Numina votis.
Tu mihi, vt caſſes fugiam doloſos
Hoſtium, lumen Deus æquitatis
Dux tuæ præfer, dubioq́ cæcos
Dirige greſſus.
Hoſtium verum fugit ora, pectus
Incolit fraus ſpurcitiesq́: guttur
Tetrius putri eſt quod hiat recludens
Funera buſto.
Lingua adulatrix tacito veneno
Blandiens, cæcos meditatur ictus.
O Deus, rerum ô pater alme, gentem
Perde nefandam.
Redde conatus Pater alme vanos:
Quiq́ te linquunt, ſcelerum ſuorum
Sentiant pœnas meritas, ab ima
Stirpe reciſi.

Sed tua ſemper bonitate tuti
Gaudeant qui ſpem poſuere in vno
Te ſibi certam impauidi, tuumq̃
Nomen adorant.
Nanque tu rectos animiq̃ puros
Larga opum dextra recreas benignus,
Et tui (tanquam clypeo) fauoris
Protegis vmbra.

PSAL. VI. Domine ne in furore tuo arguas me, &c.

ARGVMENTVM.

Feciſſe Dauidem putant hæc carmina
Cùm de Vria interfecto, & vxore ipſius
Rapta, incidiſſet in mala, & morbum grauem.

CARM. GEN. 3.

DVM feruet ira, Domine, dum mens æſtuat,
Ne me merentem corripe:
Dum ſæuientis flagrat in curſu furor,
Exigere pœnas abſtine.
O parce, parce: languor ægrum conficit:
Manum ſalutarem admoue.
Corpus, ſolutis oſſium compagibus,
Enerue vires deſerunt:
Mentemq̃ grauiter mœror angit turbidam.
Quo me vſque miſerum negliges?
Quo me vſque linques? iam reuerte ac libera

AEgrum

AEgrum inferûm de faucibus.
Vbi sæuà duram mors manum iniecit semel,
Quis amplius meminit tui?
Quis mortis alta subrutus caligine
Nomen celebrabit tuum?
De nocte pectus anxium suspirijs
Pulsans, gemensq̃, lacrymis
Lauo cubile, strata fletuum madent
Rorata largis imbribus.
Caligat acies luminum, doloribus
Hebetata longis: hostium
Interq̃ risus & dolos emarcuit
Color vigorq̃ corporis.
At tu sceleribus turba gaudens impijs,
Facesse, spem pone irritam:
Lamenta Dominus & meorum fletuum
Placatus audijt sonum.
Dominus benignus supplicem me exaudijt,
Orationique annuit:
Subitus vt hostes obruat pudor meos,
Vultuq̃ confundat rubor:
Tristi repentè vt palleant infamia,
Fugamq̃ turpem mœreant.

PSAL. VII. Domine Deus meus in te speraui, &c.

ARGVMENTVM.

A Saule proditionis accusatus est:
Quare his Deo purgare sese versibus

Studet, quibus testatur innocentiam
Suam, atque iustitiam Dei implorat ferum
In hostem, & ipsius necem prænunciat.

CARM. GEN. 6.

IN te salutis spem posui mea,
Seruator orbis: faucibus hostium
Me libera, qui mente sæua
Interitum mihi moliuntur.
Si nemo vindex asserat, vt leo
Imbelle crudus dilaniat pecus,
Sic me ferus discerpet hostis,
Innocui sitiens cruoris.
Si verus iudex me meritò arguit,
Nec falsa mendax crimina texuit,
Si damna pro damnis rependi,
Nec miseris facilis peperci,
Me persequatur dum capiat sequens,
Captumq; sternat, stratum & humi pede
Conculcet, & sceptri superbum
Proterat abijciatque fastum.
Exurge, iustas te furor impius
Meorum in iras excitet hostium.
Exurge, promissamq; redde
Perfidiæ Deus vltionem.
Exurge, terris luceat omnibus
Augusta maiestas tua, te suum
Accurrat agnoscatq; regem
Concilium populi, patrémque.

O qui

O qui potenti ſceptra tenens manu,
Gentes per omnes crimina vindicas,
Me vindica, ſi ritè pœnas
Ore pio innocuoq; poſco.
O iuſte iudex, cordis in intimo
Quem nil receſſu praeterit abditum,
Frange impios auſus malorum:
Fulci animos refoueq; iuſtos.
Securus hoſtes nil metuo, Deo
Cuſtode: quem ſimplex animi iuuat
Candor. pios ſeruat, malisq;
Exitium aſſiduè minatur.
Nam ni redimus, iam gladium tenet,
Iam tendit arcum promptus, & arripit
Ferale telum, ac igne ſæuo
Lethiferas acuit ſagittas.
En, qui nefandum parturijt ſcelus,
Concepit ærumnam, pariet velut
Quæ vana per ſomnum inquietas
Ludificant ſimulacra mentes.
Fodit doloſam, vt me caperet, ſcrobem,
Incautus in foſſam ipſe ſuam ruit.
In verticem ipſius recurret
Pernicies, recidentq; fraudes:
Ergo expeditus fraudibus & metu,
Rerum parentis iuſtitiam canam.
Nomenq; ſanctum: gratiasq;
Lætus agam, repetamq; laudes,

PSAL.

PSAL. VIII. *Domine Dominus noster, quàm admirabile, &c.*

ARGVMENTVM.

Sanctum gregem induci putant interpretes
Græci, & Latini, qui ducis victoriam
Nostri canat, Deiq́ue nomen prædicet,
Eiusq́ue mira dona in humanum genus.

CARM. GEN. 7.

GEntis humanæ pater atque custos,
Quam sancta maiestas tui
Nominis terras stupefecit omnes,
Sol quas recurrens adspicit!
Et super cæli radiantis orbes
Tua magnitudo se extulit.
In Dei laudes patefecit ora
Lactens puelli infantia:
Et tuas vires inimica castra
Sensere, & vltrices manus.
Luce quum cælos vitrea serenos,
Pollentis opera dexteræ
Cerno, quum lunam, nitidasq́; stellas
Per te creatas conspicor,
Quantulus (mecum tacitus reuoluo)
Homo est, vt eius sis memor!
Quantula humanæ est sobolis propago,
Dignere vt illam visere?
Hunc Deo æqualem propè reddidisti:
Ornasti honore & gloria:

Ex Horatij Carm: Lib. 1. Ode 12.

Et tuæ

Et tuæ dextræ super vniuersa
Opera creasti principem:
Cuncta vitalis quibus haustus auræ est,
Illi dedisti sub pedes.
Huic boues parent & oues, pecusq́;
Quodcunque campis pascitur:
Quiq́; pennarum celeri volatu
Metitur ales aëra:
Quiq́; pinnarum celeri natatu
Piscis pererrat æquora.
Gentis humanæ pater atque custos,
Quàm sancta maiestas tui
Nominis terras stupefecit omnes,
Sol quas recurrens adspicit!

PSAL. IX. Confitebor tibi Domine, in toto corde meo, &c.

ARGVMENTVM.

Formidoloso ex prælio victoriam
Vates reportatam canit.

CARM. GEN. 8.

RErum certa salus te cano, gratias
Exoluo meritas ex animo tibi:
Et miranda futuris
Pandam facta nepotibus.
Tutus præsidio nil metuam tuo:
Lætus læta canam sed tibi carmina,
Te laudabo supremi

AEter-

AEternum ætheris arbitrum.
Spes hostis temere elatus in improbas,
Conuersus trepida terga dedit fuga.
Et virtute potentis
Dextræ pessum abijt tuæ.
Tu vindex cupidos exitij mei
Perdis, tu trepido præsidium es reo:
Tu litem mihi iudex
Ex alto dirimis throno.
Tu gentis valido robore barbaræ
Compescis furias: destruis impios,
Vt nec nomina seris
Narret fama nepotibus.
Tu ferrum è manibus detrahis hostium:
Prosternisq́, solo funditus oppida,
Et prostrata perennis
Condis nube silentij.
Tu rerum sine fine imperium tenens,
Fixisti solium iustitiæ tibi,
Orbem vt legibus æquis,
Vt iustè populos regas.
Quum vis incubuit fœta superbia
Infræni, miseris præsidium pates,
Tuti pandis asyli
Arcem rebus in asperis.
In te vno meritò spem solidam locant
Qui nouere tuum nomen, & vltimo
Vt discrimine amicos

Nun-

Nunquam destituas tuos.
Ergo arcus merita laude Sioniæ
Custodem Dominum pangite: consilij
Decreta ardua gentes
Latè ferte per exteras.
Vindex innocui sanguinis expetit
Pœnas, vi tenues nec sinit opprimi
Impunè: applicat aurem
Clamantum querimonijs.
Afflictas bonus ô res propius meas.
Contemplare, odijs quem petit improbis
Vis hostilis: & atræ
Mortis faucibus eripe.
Vt qua mole Sion crescit in æthera
Latè conspicuâ, laudibus efferam
Te, lætusq; salutem
Acceptam referam tibi.
Demersit meritò fraus sua perfidas
Gentes exitio: queis alios plagis
Irretire parabant,
Hæsere impliciti pedes.
O miranda Dei iudicis æquitas!
Fraudis fraude sua prenditur artifex.
O res pectoris altis
Condenda in penetralibus.
Sic est: interitu deuorat impios
Improuisa dies: immemores Dei
Gentes mors inopina

AEter-

AEternis tenebris premit.
At confisa Deo nuda modestia
AEternùm Domini non animo excidet,
Nec læto miserorum
Spes frustrabitur exitu.
Rerum surge parens, neu sine vt impotens
Aduersus tenues crescat homunculus:
Et iuris preme frænis
Gentes arbiter impias.
Circumsiste tuæ mole potentiæ,
Terroremq; feris mentibus ingere:
Agnoscat malè firmam
Sortem gens hominum suam.

PSAL. X. Vt quid Domine recessisti longè? &c.

ARGVMENTVM.

In impios inuehitur, ac sæuissimos,
Quorum secundæ res virum
Persæpe commouent bonum, vt quæ carmina
Hæc continent, queri audeat.

CARM. GEN. 3.

QVónam vsq; custos gentis humanæ tuos
In rebus arctis negliges?
Quonam aberis vsque, dum pios tyrannide
Premit arroganter impius?
O si scelestum vergat in caput scelus,
Suisq; pereat artibus.
Dum mentis explet per nefas libidinem,

Sic

Sic gloriatur impius,
Sic gaudet in se sempiternum ceu decus
Rectis pararit artibus.
Nec deest nefandam scurra mentem percitus
Turpis lucri cupidine,
Linguam procacem probra cœlo dicere
Qui prosequatur laudibus.
At ille cæca turgidus vesania,
Et in futurum improuidus,
Dum machinatur sæua, securus Dei,
Præcogitatum vrget nefas.
Seu se tenebris induit nox, seu dies
Lucem refudit auream,
Animum nefandis ille curis carpitur,
Scelusq; comminiscitur.
Nec te futurum cogitat vel iudicem,
Vel perpetrati vindicem.
Hostes minoris æstimat nihilo suos,
Sic ipse secum computans,
Incommodi expers ad senectam vsq; vltimam
Securus æuum transigam.
Non cura lætis vlla sese gaudijs,
Non ægritudo interseret.
Os execranda despuit conuitia,
Spumatq; probris & dolis.
Bonis labores continenter pestilens
Lingua & dolores parturit.
Circa viarum compita insidias locat,

Vt innocentem clàm inuolet.
Intentus oculis intuetur acribus
In transeuntes pauperes.
Qualis cruentus subter alta delitet
Spelæa conditus leo:
Sic è latebris corde trepido palpitans,
Infirmioribus imminet:
Et occupatos multimodis nexibus,
Nassæ inuolutos attrahit,
Malisq; subigit: & tenebris occulit
Crudelitatem callidus.
Ah strage quanta transeuntes perculit,
Grassatus istis artibus!
Sic deinde secum colligit malè credulus,
Hæc prorsus ignorat Deus:
Auertit ora rebus humanis sua,
Fandi & nefandi negligens.
Exurge Domine, tolle in altum dexteram,
Librata fige vulnera.
Ope destitutos ne pios silentio
Obliuioso desere.
Téne impiorum peruicax vesanìa
Sic audeat contemnere?
Secreta secum corde tacito vt murmuret,
Humana non curat Deus.
Cernis profectò cuncta, cernis: & tuam
Scelestus in manum cadet,
Vt te labores & dolores pauperum

Non

Non præterire intelligat.
Tibi relictus est inops atque innocens:
Tu tutor orbos protegis.
Tu frange vires impij, violentiam
Tu mentis improbæ doma,
A stirpe cæsa donec impietas simul
Eliminetur & impius.
Tum firma Dominus sæculorum in sæcula
Sceptra obtinebis imperij,
Gentesq; terræ finibus procul tuæ
Exterminabis impias.
Hæc vota duris obruti laboribus,
Has supplices fundunt preces:
Animosq; stimulis incitati talibus,
Te lacrymantes postulant
Pupillum & inopem vt vindices potentium
Ab impotenti audacia.
Homo vt feroces spiritus ponat, suæ
Infirmitatis conscius.

PSAL. XI. In Domino confido, &c.

ARGVMENTVM.

Ipsi fugam suadentibus, ne à principe
Sæuo necaretur, Deum dicit viris
Cauere iustis, impiosque euertere.

CARM. GEN. 6.

QVum spe salutis non dubia fruar,
Deoq; fidam, vos mihi dicitis:

Facesse rupes in remotas,
Anteuolans pauidas volucres.
Intendit arcum (en aspicis) impius,
Neruo sagittas admouet, vt petat
Incogitantes è latebris
Innocuos, animiq́; rectos.
At tu potenti Rex bone dexterâ
Domas rebelles; & facis irrita
Decreta vesani furoris
Contra humiles malè nil merentes.
AEterna cæli templa colens Deus,
Et lucida astrorum in solio sedens,
Humanaper terras acutis
Facta oculis speculatur omnes.
Non iustus illum, non latet impius
Cuncta intuentem, sed studio ad nefas
Pronos maligno iustus orbis
Ex animo moderator odit.
Super scelestos retia depluet:
Ignes remisto sulphure flammeos
Ad impios eliminandos
Fulmineæ rapient procellæ:
Iustosq́; iustus iustitiæ parens
Amore sancto amplectitur vnicè,
Et fraudis ignaram ante vultus
Assiduè videt æquitatem.

PSAL. XII. Saluum me fac Dom. &c.

ARGVMENTVM.

Hoc

Hoc seculi de moribus cantu sui
Questus, patri almo pro salute supplicat
Bonorum, & inducit loquentem ipsum Deum.

CARM. GEN. 9.

AFser opem, seruator opem fer. pulsa recessit
Intemerata fides:
Nuda fides, hominum fugit commercia: vana
Cum socio loquitur
Quisq; suo, blanda exercens mendacia lingua,
Corde scelus meditans.
Ora Deus fraudum dulci medicata veneno
Conterat, & penitus
Grandiloquam ex ima linguam radice reuellat:
Quiq; pudore carent,
Dicere nec metuunt, Falsa ad periuria linguas
Fortiter intrepidi
Assuescamus, & os age confirmemus ad omne
Flagitium. neque enim
Oris fræna mei, linguaeue repagula quenquam
Me nisi habere puto.
At Dominus planctus miserorum, & dura ferentum
Aure trahens gemitus,
Surgam, ait, atq; inopem, tuta vt respiret in arce,
Insidijsq; procul,
Securum statuam. Hæc Dominus. quod ab ore fideli
Cunq; fluit Domini,
Auro purius est, auro quod fusile fecit
Septima flamma coquens:

Dum fæx in fumos exploratore camino
Crassa abit & cineres.
Polliciti memor ergo, malæ mala toxica linguæ
Sancte parens inhibe.
Pestifera de gente hominum nos optime custos
Assere perpetuò.
Nam latè impietas grassatur libera, passim
Omnia plena malis,
Quum penes iniustos ius est, & iussa malorum
Sunt metuenda bonis.

PSAL. XIII. *Vsquequo Domine obliuiscéris, &c.*

ARGVMENTVM.

Graui malo vexatus hoc poëmate
Opem Dei implorat, vicem suam dolens.

CARM. GEN. 10.

Quousque rector vnice,
Me destitutum negliges?
An sempiterna me obrutum
Obliuione deseres?
Quousque vultum amabilem
Iratus abscondes mihi?
Quousque curæ turbidæ
Mentis quietem distrahent?
Quousque cor cruciabitur
Mœroris æstu fluctuans?

Quous-

Quousque me prostrato aget
Hostis triumphos insolens?
Regnator orbis aspice:
Opem fer, & lucem tuam
Infunde, ne mors lumina
Somno perenni sopiat:
Ne iactet hostis arrogans
Me viribus fractum suis,
Ne me perosi perfidi
Meo dolore gaudeant.
Tu me salutis recreas
Spe, largus auxilij: tuum
Salute parta, laudibus
Rex magne nomen efferam.

PSAL. XIIII. Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus, &c.

ARGVMENTVM.

Hymno hoc Dei in temptorem, & innocentiam,
Hic deprimentem inuehitur, ac ipsum bonis
Mox pollicentem opem suam inducit Deum.

CARM. GEN. II.

SEcum insania callidè
Indulgens vitijs sic loquitur, Deum
Formido sibi credula
Commenta est hominum, quum temerario
Casu sors ferat omnia.

Ergo flagitijs se penitus dedit
Secura impietas Dei:
Nec quisquam ex animo recta sequi studet.
De templo æthereo Deus
Ad curas hominum lumina verterat,
Si quis non stolidè improbus
Ad cultum reuocet pectora numinis:
Omnes in scelera omnia
Coniurasse putes: fœda, nefaria,
Detestandaq; perpetrant:
Nec cuiquam est studium recta capessere.
Nam quî recta capesserent?
Quem sanis aditum consilijs darent
Quorum nequitia & scelus
Infecere animos? qui populum meum,
Ceu prædam fera, deuorant:
Nec rerum Dominum mente colunt Deum.
Ast illos gelido metu
Horror concutiet, iustitiæ Deus
Quum patronus opem feret
Insonti: increpitans talibus impios,
Vobis ludibrio fuit
Insontum pietas: vos inopum pium
Resistitis studium, preces,
Spes lentas, trepidas sollicitudines:
At cui fidit inops, Deus
Spes & vota bonos ducet ad exitus.
O si mittat opem suis

Speratam

Speratam Deus è rupe Sionia.
Nam quum vincula ruperit,
Exoluetq́, suos, pectore libero
Gaudebunt Abrahamidæ,
Et iusta Isacidæ lætitia frement.

PSAL. XV. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? &c.

ARGVMENTVM.

Genti suæ præscribit istis versibus
Normam piè viuendi, vti summo Deo
Carissimi sint, conquiescantqúe in sua
Tutissimi vrbe, patriæqúe finibus.

CARM. GEN. 15.

STellata cœli templa quis incolet
Rex magne tecum? quem statues tuum
Sanctum super montem, vt malorum
Liber agat placidam quietem?
Quem fraudis expers simplicitas iuuat:
Vrgetq́, rectum propositi tenax:
Nec mente sæuus, grata blandam
Edocuit simulare linguam.
Nec ore mendax, exitiabiles
Concinnat artes: nec mala proximis
Excogitat, nec dulcem amicum
Opprobriis maculat pudendis.
Qui fastuosum despicit impium,
Dei timentem suspicit & pium:
Tenaxq́, promissi, fidemq́,

Indocilis temerare pactam.
Qui non egenos fœnore perdidit,
Non innocentes munere prodidit.
In monte sancto, hæc qui peregit,
Perpetua requie fruetur.

PSAL. XVI. Conserua me Domine.

ARGVMENTVM.

Christum loquentem inducit, & mortem suam,
Nouamque vitam præcinentem, & commoda,
Deus recepit, quæ pio, immortalia.

CARM. GENVS. 2.

O Rerum sator, & salus
Humani generis certa, periculis
Qui te respicit vnum famulum instantibus eripe.
Te seruus Dominum libens
Agnosco, & populis prædico: sed tibi
Omni ex parte beato officijs nil opus est meis.
Ergo illuc animum appuli,
Vt gentem studio prosequerer pio,
Quam tu ex omnibus vnam populis sorte receperas.
Ast illi immemores tui
Defecêre: nouos quisque sibi deos
Effinxêre, colentes animi ludicra somnia.
Horum sanguineas dapes
Non libabo, epulas respuo: nomina
Testis nunquam adhibebo, aut fidei fœdera sanciens.
At sortis populum meæ
Defendet Domini perpetuus fauor,

Merce-

Mercedemq̃ laborum cumulatam dabit affatim.
O pulchra agricolatio,
O præclara mei sors patrimonij:
Vt florum vndiq̃ ridens animum pascit amœnitas.
Immortalis honor Deo
AEterno, monitu cuius ago dies,
Arcanisq̃ per vmbram stimulor pectora motibus.
Quicquid molior, aut gero,
Præsentem Dominum conspicor: is mihi
Semper dexter adhæret, stabili ne mouear gradu.
Pulsat pectora gaudio
Cor læto trepidum: lingua tuas auet
Laudes promere: corpus tacitè spes bona recreat.
Nam nec degere Tartari
Permittes animam sub tenebris meam,
Aut vt putre cadauer resolutum in cineres fluat.
Tu vitæ reseras viam:
De vultu fluuij lætitiæ tuo
Manant: tu tribuis munifica gaudia dextera.

PSAL. XVII. Exaudi Domine iustitiam meam, &c.

ARGVMENTVM.

A Saule vexatus, suam committere
Studet salutem numini, innocentiam
Canens suam, factumque crudele hostium.

CARM. GEN. 5.

AEquus exaudi bone rector orbis
AEqua poscentem: tibi quas profundit

Lingua

Lingua non mendax, cape non iniqua
Aure querelas.
Ad tuum læsus fugio tribunal,
Et fidem appello: mihi cognitorem
Te peto: oppressos oculis benignis
Aspice iustos.
Sæpe per solas tacitæ tenebras
Noctis arcanos mihi cogitatus
Cautus inspexti, trepidoq; corda
Turbida motu.
Sæpe, ceu flammis, animum probasti
Casibus duris, neque comperisti
Conscium fraudis scelerumq; : sonti
Sæua minantem.
Os fuit concors animo, sonusq;
Sensui: legum monitis tuarum
Pectus innixum scelera impiosq;
Horruit ausus.
Hac via gressus rege per tuarum
Orbitam legum, dubio vacillent
Ne pedes lapsu, instabilesq; turbent
Lubrica plantas.
Te voco, duris ad opem periclis
Sæpe tentatam fugio: precantis
Admoue attentam miseris benignus
Questibus aurem.
Tu bonus fulci tibi qui salutem
Spemq; committunt: tibi contumacis
Spiritus

Spiritus cordis tetricus refræna
Vindice dextra.
Me velut pupillam oculi tenellam
Prouidus muni: procul impiorum
Impetu, alarum trepidum tuarum
Conde sub vmbra.
Nam meæ vitæ manus impiorum
Imminet: vallant opibus, superbis
Intonant linguis, mala dira sæua
Voce minantur.
Obsident cunctos aditus viarum:
Commoda obseruant loca, destinantq;
Ad meam cædem, facinusq; patrant
Mentibus absens:
Qualis in prædam leo fertur ira
Feruidus, qualis catulus leonis
Lacte depulsus speculatur alto
Abditus antro.
Surge, conatus, pater, anteuerte
Impios, stratoq; in humum tyrranno,
Me tuo quo nunc furit ille sæuus,
Eripe ferro.
Neu sine vt me premat impotentum
Diuitum fastus, quibus vna cura est
Dum licet blandæ illecebras caducas
Carpere vitæ.
His opes terris penitus refossis
De penu fundis locuplete, ventri

Suffi-

Sufficis fruges, hilaras q̃ multa
Prole penates.
Puritas vitæ mihi te tueri
Corporis vinclis tribuet soluto.
Illa lux vere faciet me ab omni
parte beatum:
Lux voluptatum cumulata cunctis
Gaudijs, quum se sine nube menti
Pura maiestas dabit intuendam
Lumine puro.

PSAL. XVIII. *Diligam te Domine, &c.*

ARGVMENTVM.

Oden poëta istam, suæ victoriæ
Cantauit autori, hostibus victis, Deo.

CARM. GEN. I.

TE Deus alme colam, te toto pectore amabo,
Sancte parens, mea vis, mea sola potētia, turris,
Præsidium, spes, & rebus solamen in arctis.
Tu clypeus, tu tela mihi, tu certa salutis
Anchora, tu statio tuti placidissima portus.
Nam simulatq̃ tuas in laudes ora resoluo
Te venerans, pacemq̃ petens, inimica facessunt
Arma, salus, placidisq̃ comes pax aduolat alis.
Iam me lethiferis mors circumuoluerat atra
Cassibus, obsessum iam me torrentibus orcus
Impediebat aquis, stygia iam compede vinctus
Hærebam, laqueoq̃ pedem retinente trahebar:
Hic

Hîc ego deprensus, supplexq̃, humilisq̃ vocaui
Voce Deum, & dubijs clamaui ad sydera rebus.
Ille super solio residens flammantis Olympi
Audyt orantem. postquam peruenit in altum
Clamor, & attentas aduertit quæstibus aures,
Protinus è vultu Domini conterrita tellus
Intremuit, montesq̃ caua compage soluta
Nutarunt, penitusq̃ imis fremuêre cauernis.
Fumeus afflatu de naribus æstus anhelo
Vndabat: rapidæ contorto vertice flammæ
Ore fluunt, viuaq̃ animant attacta fauilla.
Vtq̃ suum Dominum terræ demittat in orbem,
Leniter inclinat iussum fastigia cœlum:
Succedunt pedibus fuscæ caliginis vmbræ.
Ille vehens curru volucri, cui flammeus ales
Lora tenens leuibus ventorum adremigat alis,
Se circum furuo nebularum inuoluit amictu,
Prætenditq̃ cauis piceas in nubibus vndas.
Acribus ex oculis vibratæ spicula flammæ
Discutiunt tristes claro fulgore tenebras.
Inde ruit crepitans lapidosæ grandinis imber?
Discursantq̃ vagæ sinuosa volumina flammæ.
At verò vt sancto sermone silentia rupit,
Protinus horrifico tonitru cœlum omne remugit,
Grandinis & crebra tellus crepitante procellæ
Pulsa sonat, ruptisq̃ micant è nubibus ignes:
Flammiferæq̃ volant magnum per inane sagittæ,
Fulguraq̃ ingeminant: laticum concussa lacunas

Pandit

Pandit hias tellus, & fontibus ora relaxat:
Succutiturq; pauens & fundamenta reuelat,
Et reserat chaos. AEterni sic vox tonat oris:
Sic formidandæ grauè spiritus infremit iræ.
Ille salutiferam porrexit ab æthere dextram,
Et me de rapidis pereuntem sustulit vndis:
Hostibus eripuit validis, & acerba potentum
In me odia elusit: quum me studiosa nocendi
Temporibus duris cæca fraus arte petebat,
Auxilium tulit, & rebus patefecit in arctis
Latum iter, electumq; à morte reduxit amicum.
Scilicet immunem sceleris mentemq; manumq;
Adspexit Deus, & merito dignatus honore est.
Quippe nec impietas nec praui credulus error
Auertere meos recto de tramite gressus.
Ante oculos mihi lex Domini, mihi iussa verenda
Semper erant animo præsentia: simplice vero
Gaudebam, fraudisq; illo sub teste voluntas
Libera, flagitium, & scelerum vitauerat artes.
Ergo mihi integræ fructum hunc decerpere vitæ
Munificus dedit, & qui conspicit omnia iustus
Arbiter innocuam cumulauit munere vitam.
Quisque suis sibi te conformat moribus: ergà
Innocuum innocuus, te sentit amicus amicum,
Inq; bonos bonus es: malè cautas callidus artes
Artibus illudis: duro in discrimine seruas
Res humilis populi afflictas, oculiq; superbos
Deijcis elati fastus. tu plebis ab imæ

Cœtibus

Cœtibus ereptum celebri me in luce reponis.
Illustrasq́ meas claro splendore tenebras.
Te duce perrumpo florentes ære phalanges,
Altaq́ turrigeri supero fastigia muri.
Scilicet, vt sanctus Deus est, sua signa sequutis
Sancta salutiferæ pandit compendia vitæ.
Illius æterno quicunq́ effluxit ab ore
Sermo repurgato flammis sincerior auro est.
Ille suo clypeo fida spe pectora fulta
Protegit, aduersisq́ vetat succumbere rebus.
Dicite qui colitis picti ludibria trunci,
Aut ebur, in varias aut saxa excisa figuras,
Ecquis in æthereo rerum moderatur Olympo
Fræna alius dominus? quis terræ temperat orbem
Alter, & inuicta quæ vult facit omnia dextra?
Ille Deus viua mihi vi corroborat artus,
Ostenditq́ viam maculosa labe carentem.
Me pedibus fecit celeri contendere ceruo,
Et procul à sæuis subduxit in alta periclis:
Et tractare manu duro in discrimine belli
Arma dedit facili: solidoq́ ex ære rigentem
Flectere & inflexum confringere viribus arcum.
Ille salutiferi totum munimine scuti
Me tegit, & dextra nutantem fulcit & auget,
Largus opis perq́ insidijs obsessa viarum
Pandit iter tutum, prohibetq́ per inuia plantas
Offenso titubare gradu. Te persequor hostes
Auspice, disiectos comprendo: nec antè reuertor

Quàm cecidere animi fracta virtute minaces,
Affusiq; cadant pedibus, ne surgere possint
Rursus, & antiquas armis reparare ruinas.
Tu mihi diffundis viuum per membra vigorem,
Et validos crudo distendis robore neruos.
Tu bellare doces: tu me quicunque lacessit
Sternis humi, trepidosq; fuga mihi disijcis hostes.
Clamantes nemo exaudit. Domini prece poscunt
Auxilium: auersam negat implorantibus aurem.
Hos ego, ceu versat Boreæ violentia nubem
Pulueream, impello, & turbatis feruidus insto:
Et pedibus premo, ceu cœnum deforme lutosis
Conteritur triuijs. Tu me sine nomine plebis
Contemptu ereptum, populos frænare superbos
Imperio facis, & famulas mihi tendere dextras
Per longinqua iubes ignotas oppida gentes,
Attonitas famæ nouitate, & nomine tantùm
Audito: & blandis verba assentantia linguis
Fingunt, nec tutis satis audent credere muris.
Laus, honor, imperium Domino, qui robore cinctũ
Me tegit, incolumemq; rapit de morte propinqua
Qui mihi perfidiam scelerata vltricibus armis
Frangere dat, populosq; facit parêre volentes:
Securumq; vetat belli trepidare tumultus.
Qui mihi præsidio est, populi quum sæua rebellis
Ira furit, mentisq; malæ scelerata retundit
Consilia. Ergo feram latè tua facta per vrbes
Finitimas: semperq; meo celebrabere cantu

Sancte

Sancte parens, regem qui dura per omnia tutum
Esse iubes, cumulaq̃ opibus: plenoq̃ fauore
Ipsum, & perpetuum sobolem amplectéris in æuum.

PSAL. XIX. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum, &c.

ARGVMENTVM.

Studium sacræ quam legis, & cœlestium,
Verique contemplatio parit, Dei
Scientiam his vates celebrat versibus.

CARM. GEN. 6.

Horat. lib. 1. ode 34.

INsanientis gens sapientiæ,
Addicta mentem erroribus impijs,
Tot luce flammarum coruscum
Cerne oculis animoq̃ cœlum.
Hinc disce, prudens quam fuit artifex
Qui templa Olympi fornice flammeo
Suspendit, & terræ capacem
Et pelagi sinuauit arcum.
Dies tenebras, & tenebræ diem
Semper prementes perpetua vice,
Non fortuito res caducas
Ire monent per inane lapsu:
Sed tota concors fabrica personat
Dei tuentis cuncta potentiam,
Non voce quæ paucorum ad aures
Perueniat strepitu maligno.
Nam nec remotis barbara finibus
Gens vlla terras incolit vltimas,

Quæ nesciat certa meantis
Lege poli stabilem tenorem,
Quis nocte clara lumine flammeo
Semper micantes non stupuit globos?
Aut manè castris prodeuntem
Quum rutilo videt axe solem?
Siue ille Eois fluctibus exerit
Vultus decoros, sponsus vti nouus
Auro refulgens, gemmeaq́ꝫ
Tempora conspicuus corona:
Seu quum fugacem præcipitans diem
Curru citato tempora diuidit,
Artusq́ꝫ viresq́ꝫ impetumq́ꝫ
Centimano similis giganti.
Abusque Eoo cardine ad vltimam
Metam occidentis sydera permeans,
Obliqua vitali calore
Cuncta creatq́ꝫ, fouetq́ꝫ, alitq́ꝫ.
Sed ordo rerum & conspicuus decor
Non sic tuentum lumina detinent,
Diuina vt arcanis habenis
Lex animos ad honesta flectit.
Promissa fraudis nescia lubricæ
Splendore veri pectora roborant.
Hac plectitur culpa æquitate, vt
Pœna iuuet recreetq́ꝫ damnum.
Puro recludunt lumine lumina
Præcepta: puro relligio nitet

Veren-

Verenda cultu, quam nec annis
Cuncta domans minuit vetustas.
Decreta fas & conscia veritas
Astans tabellis seruat aheneis,
Iucundiora melle, & auro
Et nitidis potiora gemmis.
Signata claustris pectoris intimi
Seruus tuetur iugiter hæc tuus:
Non inscius custodientem
Quam maneat numerosa merces.
Errata mentis quis meminit vagæ?
Quæ deprehendet vis sapientiæ?
Ergo repurga quas refudit
Clam maculas sinuosus error:
Fac regna cordis ne sibi vendicet
Vis impotentis dira superbiæ.
Sic me malorum è maximorum
Compedibus facilè explicabis.
Quæ lingua fundit verba, quod in sinu
Secum volutat mens tacito, accipe
Placatus, ô nostræ salutis
Arx, Dominus, Deus, & redemptor.

PSAL. XX. Exaudiat te Dominus in die tribulationis, &c.

ARGVMENTVM.

Ad bellum eunti difficulter optimè
Precatur ipsi Dauidi omnis gens sua.

CARM. GEN. 2.

CVncta licet ferro latè populetur & igni
Insana gentis barbaræ crudelitas:
Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.
Moderator orbis audiet preces tuas:
Vtq; bonus dubijs Iacobum ad sidera rebus
Cum voce palmas proferentem exaudyt,
Annuet oranti, & te maiestate verendi
Nominis, ab hoste sospitem tuebitur.
Ex adyto sacro arcanis tibi viribus artus
Firmabit, animum de Sione fulciet:
Vota secundabit, memori tua munera mente
Seruabit. omnis perlitabit victima.
Protinus in cineres depasta holocausta resoluet
In astra voluens flamma lucem splendidam.
Ille aderit cœptis, casuq; in prospera vertet,
Euenta finget omnia ex sententia.
Iam tibi plaudemus reduci, auctoremq; salutis
Patrium canemus patrio ritu Deum.
Cuncta Deo grates fora, compita, templa sonabunt:
Nomenq; sanctum prosequentur laudibus.
Annuet ille pio quæcunque rogabitur ore,
Lætumq; precibus exitum iustis dabit.
Quin (scio, nec fallax animum mihi decipit omen)
Regem reducet sospitem Dominus suum.
Mittet opem, sancti reserans sacraria cœli,
Et præpotenti proteget te dextera.
Gloria sit Syriæ turmas numerare curules,
Axesq;

Verenda cultu, quam nec annis
Cuncta domans minuit vetustas.
Decreta fas & conscia veritas
Astans tabellis seruat aheneis,
Iucundiora melle, & auro
Et nitidis potiora gemmis.
Signata claustris pectoris intimi
Seruus tuetur iugiter hæc tuus:
Non inscius custodientem
Quam maneat numerosa merces.
Errata mentis quis meminit vagæ?
Quæ deprehendet vis sapientiæ?
Ergo repurga quas refudit
Clam maculas sinuosus error:
Fac regna cordis ne sibi vendicet
Vis impotentis dira superbiæ.
Sic me malorum è maximorum
Compedibus facilè explicabis.
Quæ lingua fundit verba, quod in sinu
Secum volutat mens tacito, accipe
Placatus, ô nostræ salutis
Arx, Dominus, Deus, & redemptor.

PSAL. XX. Exaudiat te Dominus in die tribulationis, &c.

ARGVMENTVM.

Ad bellum eunti difficulter optimè
Precatur ipsi Dauidi omnis gens sua.

CARM. GEN. 2.

CVncta licet ferro latè populetur & igni
Insana gentis barbaræ crudelitas:
Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.
Moderator orbis audiet preces tuas:
Vtq; bonus dubijs Iacobum ad sidera rebus
Cum voce palmas proferentem exaudyt,
Annuet oranti, & te maiestate verendi
Nominis, ab hoste sospitem tuebitur.
Ex adyto sacro arcanis tibi viribus artus
Firmabit, animum de Sione fulciet:
Vota secundabit, memori tua munera mente
Seruabit. omnis perlitabit victima.
Protinus in cineres depasta holocausta resoluet
In astra voluens flamma lucem splendidam.
Ille aderit cœptis, casuq; in prospera vertet,
Euenta finget omnia ex sententia.
Iam tibi plaudemus reduci, auctoremq; salutis
Patrium canemus patrio ritu Deum.
Cuncta Deo grates fora, compita, templa sonabunt:
Nomenq; sanctum prosequentur laudibus.
Annuet ille pio quæcunque rogabitur ore,
Lætumq; precibus exitum iustis dabit.
Quin (scio, nec fallax animum mihi decipit omen)
Regem reducet sospitem Dominus suum.
Mittet opem, sancti reserans sacraria cœli,
Et præpotenti proteget te dextera.
Gloria sit Syriæ turmas numerare curules,
Axesq;

Axesq̃ curuis asperare falcibus:
Fidat equis, lateq̃ vagis discurset habenis
Sonante Perses arua findens vngula:
Hi currus & equos iactent: nos rebus in arctis
Dei potentis nomen inuocabimus.
Illis nec currus, nec ius præstabit equorum
Ne scindat vncis vultur artus vnguibus:
Nos humiles fauor æthereus penitusq̃ iacentes
Tollet, suoq̃ sustinebit numine.
Tu seruator opem fer: tu si respicis, arma
Nec socia cupimus, nec timemus hostica.
Respiciet, populiq̃ sui Rex optimus omni
Vocatus hora, facilis audiet preces.

PSAL. XXI. Domine, in virtute tua lætabitur rex, & super salutare, &c.

ARGVMENTVM.

Victoriam Christi celebrat laudibus
Et sempiternum eius thronum.

CARM. GEN. 3.

QVòd hoste victo rex triumphat gaudio,
Curis solutus anxijs,
Tibi id fatetur, rex beate cœlitum,
Debere tu laboribus
Vires ferendis, tu dedisti è prælio
Redire duro sospitem.
Nullam repulsam, voce quum te supplice
Rogaret, vnquam adhuc tulit.

Nil in latebris pectoris reconditis
Spe concupiuit irrita.
Et vota supra & ante vota hunc omnibus
Vitæ beasti commodis:
Gemmis coronam ferre & auro splendidam
Sacro dedisti vertici.
Vitam poposcit: mortis illi est addita
Immunis immortalitas.
Tu claritatis auctor illi es, inclyta
Per te refulget gloria.
Felicitatis ei fauor dedit tuus
Exemplar vt sit posteris:
Mensura voti vt matribus sit, quum benè
Blandis precantur liberis.
Tu nempe spes & anchora es fiduciæ,
Tu portus in rebus malis.
Te fretus vno firmus omnem perferet
Sortis procellam turbidæ.
Tu perduelles comprehendes. tu manu
Pœnas reposces vindice.
Ceu flamma clausis æstuans fornacibus
Antiqua syluæ brachia
Vorat, furoris sic tui nefarios
Afflatus hostes hauriet.
A stirpe totam demetes propaginem
Semenq; gentis impiæ.
Te namque contra moliuntur abditam
Fraudem scelusq; perfidi:

Et

Et mente praua vota verſant irrita,
Et ſpes inanes concoquunt.
Te perſequente pallidi in fugam ruent,
Inhoneſta tergo vulnera
Ferent: in ora, fata dum vitant fuga,
Rurſus ſagittas diriges.
O qui potenti frana rerum dextera
Verſas perennis arbiter,
Exurge, vires fac tuas vt hoſtium
Agnoſcat inſolentia:
Tum te piorum turba feſtis cantibus
Orbis parentem concinet,
Votis tuorum ſupplicum placabilem,
Maliq̃ formidabilem.

PSAL. XXII. Deus Deus meus reſpice in me: quare me derel. &c.

ARGVMENTVM.

Hoc dux Hebræus carmine ornatiſsimo
Natum Dei inducit loquentem pergrauem
Pœnam, atque cruciatus, ita vt iam facta, non
Futura prædicare videatur, ſimul
Et gentium omnium ſalutem præcinit.

CARM. GEN. 3.

CVR me relinquis ô Deus? Deus meus
Cur me relinquis? irrita
Heu verba fundo. luce ſeu terras dies
Retegit, vocantem me dies
Fruſtra intuetur: ſiue nox ſilentibus

Terram tenebris obrüit,
Nox me vocantem nulla non audit, meo
Nox nulla questu non sonat.
Tu sanctus ille ciuitatis incola es
Sanctæ, Isaci nepotibus
Tu carmen es: tu fida spes maioribus
Nostris. salutem qui suam
Tibi credidere, à te salutis compotes
Abiêre. salui gratias
Egêre duris qui tuam in malis opem
Petiêre: qui tuam in fidem
Se dedidêre, non tulêre dedecus,
Non hostium ludibria.
At vermis ego sum, non homo: sum fabula
Vulgi, infimorum opprobrium.
Nam turba nostris obuia illudit malis:
Nutatq́, nictatq́ & caput
Motat, labella exporrigit: ludibria
Verbis acerbat asperis,
En ille Domino carus, en fiducia
Securus ille numinis:
Nunc seruet illum, nunc periclis eruat,
Quem tanto amore amplectitur.
O Domine, tu me protinus susceperas
Aluo parentis editum.
De te pependi spe, parentis pendulus
Infans adhuc ad vbera.
Ab vsque partu tu Deus meus: tuus

Ex ma-

Ex matris aluo me fauor
Est prosequutus: vltimo in discrimine
Iam ne recede longiùs.
Discrimen instat vltimum: mortis metu
Cessere amici territi.
Tauri efferati, tauri obesi me vndique
Circundedêre: faucibus
Hiant, leonum more rugientium,
Quos incitat spes & fames.
Riui cruoris corpus omne perluunt
Exangue: laxat artuum
Compago nexus: pectus intra liquitur,
Vt sole cera, cor metu.
Exaruêre testæ ad instar coctilis
Defecta membra viribus:
Rigens adhæsit lingua siccis faucibus.
Iam sto sepulchri ad aggerem.
Me rabidi ab omni parte latratu canes
Vrgent, petuntq; dentibus,
Mihi pessimorum sæua conspiratio
Manusq; fodit & pedes:
Et ossa numerant, ossa tralucentia
Per corporis tensi cutem.
Tormenta postquam cuncta consumpsit furor,
Animus adhuc ira tumens
Se pascit: oculos satiat, & fruitur meis
Læto in malis spectaculo.
Partiti amictus sunt meos, tunicæ meæ

Fecêre

Fecêre sortes arbitras.
Tu Domine saltem ne recede, ne malis
In vltimis me desere.
Tu robur vnus, tu mea es potentia.
Accurre, festinus meæ
Succurre vitæ: destitutum ab omnibus
Defende: sæuorum hostium
Ferrum cruentum pelle: vim rapidam canum
Inhibe: leonum spumeos
Compesce rictus: cornua vnicornium
Confringe: serua supplicem.
Tum morte victa sospes auxilio tuo,
Narrabo fratribus tuum
Nomen, piorum prædicabo cœtibus
Robur, fidem, constantiam.
O mente pura qui Deum colitis, Deum
Laudate puris cantibus.
Semen Iacobi, magnitudinem Dei
Celebrate festis laudibus:
Erga fideles numinis clementiam
Agnosce proles Isaci.
Non spreuit inopis ille solitudinem,
Non pauperum fastidio
Auertit ora. Me vocantem exaudijt,
Vitaq; dulci reddidit.
Ergo per oras vltimas mundi, tuas
Sonabo laudes: gentibus
Te prædicabo, vota te timentium

Præ-

Præsente soluam Ecclesia.
Edet modesta turba fraudis nescia
Vocata sacras ad dapes:
Epulisq; functa, ac satura dulci nectare,
Laudabit auctorem Deum:
Deum sonabit, qui vigore flammeo
In corda se quærentium
Se tantus infert, mortis vt procul metu
Perennè viua gaudeant.
Ergo excitata tam nouo spectaculo
Tellus ab oris vltimis,
Quacunq; colitur, colla sub Domini iugum
Submittet. illi seruient,
Pronæq; Domino supplicabunt omnium
Omnes familiæ gentium.
Nam sempiterno iure Domino competit
Regnum triformis machinæ.
Ille vniuersis imperabit gentibus.
Rerum potentes illius
Mensæ accubabunt, & sacri conuiuij
Dapibus referti sub iugum
Cedent volentes, flectat illi poplitem
Pauper sepulchri in limine,
Qui membra fessis artubus languentia
Fugiente vita vix trahit,
Illumq; longa posteri propagine
Colent, suisq; posteris
Per longa deinceps nunciabunt sæcula

In me

In me fauorem numinis.
Hoc ſemen illi ſeruiet, gens illius
In poſterum hæc cenſebitur.

PSAL. XXIII. Dominus regit me: nihil mihi deerit, &c.

ARGVMENTVM.

Se gloriatur, ac Deo ſua omnia
Curæ eſſe, demonſtrat ſimul, quàm ſint pij
Omnes beati, numini qui ſe dicant.

CARM. GEN. 13.

Quid fruſtra rabidi me petitis canes?
Liuor propoſitum cur premis improbum?
Sicut paſtor ouem, me Dominus regit:
Nil deerit penitus mihi.
Per campi viridis mitia pabula,
Quæ veris teneri pingit amœnitas,
Nunc paſcor placidè, nunc ſaturum latus
Feſſus molliter expliço,
Puræ riuus aquæ leniter aſtrepens
Membris reſtituit robora languidis,
Et blando recreat fomite ſpiritus
Solis ſub face torrida.
Saltus quum peteret mens vaga deuios,
Errorum teneras illecebras ſequens,
Retraxit miſerans denuò me bonus
Paſtor iuſtitiæ in viam.
Nec ſi per trepidas luctificæ manu
Intentet tenebras mors mihi vulnera,

Formi-

Formidem duce te pergere: me pedo
Securum facies tuo.
Tu mensas epulis accumulas, merum
Tu plenis pateris sufficis: & caput
Vnguento exhilaras. Conficit æmulos,
Dum spectant, dolor anxius,
Me nunquam bonitas destituet tua,
Profususq; bonis perpetuò fauor:
Et non sollicitæ longa domi tuæ
Vitæ temporatransigam.

PSAL. XXIIII. *Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui, &c.*

ARGVMENTVM.

Exponit hic vates pius, cui cœlitum
A patre summo detur immortalitas
Beata: dux mortalium quò (sicuti
Enarrat hic) ingressus est primus pater.

CARM. GEN. 2.

Tota quidē Domini terra est, & quicquid vbiq;
Vel parca celat, vel benigna sufficit:
Quiq; colunt montesq; feros, camposq; feraces,
Vrbesq; sanctis temperatas legibus.
Ille super pelagus solidum connexuit orbem,
Stabilis vt vndas inter inflabiles foret,
Et toties rapidis pulsatis fluctibus, omnes
Compage firma sustineret impetus.
Cuncta igitur Domini meritò sunt: sed tamen vnam
Sedem

Sedem sibi ille dedicauit propriam.
Ecquis eò scandet? cuiúe hæc permissa potestas?
Loco vt beatum sistat in sancto gradum?
Cui manus & mens est insons, nec vana volutat
Animo, nec vlli damna periurus dedit.
Huic Dominus donabit opes: hunc numine dextra
A vi procaciq; eruet calumnia.
Hæc vera est pietas, hac itur ad æthera, veri
Sic intueri numinis vultum licet.
Eia aditus reserate, fores age pandite portæ,
Portæ perennes sempiternæ regiæ:
Claustra reuellite, limina pandite, magnus vt intret
Rex ille, multa clarus ille gloria.
Quis nouus hic sanctus succedit sedibus hospes?
Quis iste multa est inclytus rex gloria?
Ille potens latè Dominus dextraq; opibusq;,
Belloq; multa nobilis victoria.
Eia aditus reserate, fores age pandite portæ,
Portæ perennes sempiternæ regiæ:
Claustra reuellite, limina pandite, magnus vt intret
Rex ille, multa clarus ille gloria.
Quis nouus hic sanctus succedit sedibus hospes?
Quis iste multa est inclytus rex gloria?
Ille potens armis numerosoq; agmine ductor,
Hic ille multa est inclytus rex gloria.

PSAL.

PSAL. XXV. AD te Domine leuaui animam, &c.

ARGVMENTVM.

Viri periclitantis est precatio,
Qua crimina, & peccata condonarier,
Petit sibi canens Dei clementiam.

CARM. GEN. 14.

HIC fidat armis, plebe se clientium
Defendat alter, militumq; copijs:
A te creator orbis vno spes mea
Pendet, malisq; in rebus vnum respicit.
Tu sancte genitor effice insolentibus
Ne spes inanes risui sint hostibus.
Sic me pudore liberabis: nec rubor
Confundet ora cæteris, in te suæ
Qui collocârunt anchoram fiduciæ.
Frustretur illos spes, & irritæ spei
Pudor dolorq; torqueat, qui sordium
Amore sese sordibus contaminant,
Bonosq; nulla prouocati iniuria
Vexare gaudent. Mihi per anfractus vagos
Vitæ, salebras inter & tenebras iter
Ostende rectum & erutum sequacibus
Erroris vndis, præuio lucis tuæ
Splendore deduc veritatis in viam.
Te nempe ab vno pendeo spe, te Deum cc
Vnum & salutis columen agnosco meæ. cc
Si torta vitijs sortè morum regula
Deflexit, error si fefellit lubricus,

Fracta illecebris si voluptatis malis
Incauta vitijs se iuuenta polluit,
Benignitatis tu tuæ memor tamen,
Et lenitatis (qui parentes mollibus
Frænans habenis, vsque ab incunabulis
Orbis paterna es vsus indulgentia)
Miserere. nostris quod negares moribus,
Tuæ negare non potes clementiæ.
Nec denegabis, nec precantes bona bonus
Vacuos repelles: nec viam poscentibus
Rectam aberis vnquam recti & æqui regula.
Tu mitis animi amplecteris modestiam,
Docesq́ꝫ recti & improbi discrimina.
Tu dux comesq́ꝫ tuta per compendia
Ducis carentem fraude mansuetudinem:
Peccata bonus & facilis obliuisceris:
Promissa soluis liberali dextera:
Minuitq́ꝫ pœnas mitis indulgentia:
Fidesq́ꝫ dictis stabilis erga omnes adest
Qui pacta sacri fœderis non negligunt.
Hanc vt nepotum sæcla mansuetudinem
Noscant, tuiq́ꝫ nominis se gloria
Latè per omnes fundat orbis angulos.
Ignosce nostris mitis erratis parens,
Quæ multa inussit ægritudo, & impotens
Amor, regiq́ꝫ contumax ira & dolor,
Errorq́ꝫ, veri non acutus arbiter.
O ter beatum, mente qui pura Deum

Vene-

Veneratur: illi, qualecunque amplectitur
Vitæ institutum, dux adest semper Deus,
Rectorq̃, & omnes actiones prosperat.
Securus animus anxio procul metu cc
Cunctis fruetur affluenter copijs: cc
Stirpisq̃ series longa firmabit domum, cc
Genusq̃ multa floridum propagine cc
Opes paternas ad nepotes transferet. cc
Quin & piorum mentibus mysteria,
Contempta prauis, impiè sapientibus
Occulta, Dominus luce proferet sua,
Et sacrosancti fœderis scientiam
(Quæ sola vitæ dux beatæ & regula est)
Docebit. Ergo rex beate cœlitum
Te mente solum quæro, nusquam lumina
Abs te reflecto. tu pedes solus meos
Hostis dolosis erues è retibus.
O sancte custos hominum, amico lumine
In me intuere, & destitutum ab omnibus
Inopemq̃ sancta me tuere dextera.
Curisq̃ mentem quæ perurunt plurimæ,
Nouisq̃ semper differunt doloribus,
Exolue. pœnis vsque & vsque immanibus
Exercitato, & obruto laboribus
Ignosce: culpas mitis obliuiscere.
Heu quanta vis me factionis impiæ
Persequitur armis! quanta me crudelitas
Inexpiato quærit odio perdere!

Tu me periclis libera: tu protege
Eius salutem ab hostium ludibrio,
Omnem salutis qui locauit spem suæ
In te, nec alijs fidit opibus quàm suæ
Integritatiq́, & tuæ clementiæ.
Gens quæ tuarum iussa legum amplectitur,
Fac vndequaque tuta sit te vindice.

PSAL. XXVI. Iudica me Domine, &c.

ARGVMENTVM.

Cùm fortè ab hostibus vocaretur suis
In ius, eiq́ue falsa inique crimina
Confingerent, exponit ipsi numini
Causam suam, vitæq́ue rationem suæ.

CARM. GEN. 15.

ME vi tyrannus persequitur palàm,
Me clam maligna fraude calumnia.
Te, qui latebras pectoris inspicis,
Appello, rerum conditor optime.
Mens fraudis expers, & manus innocens,
Auiq́ pura & flagitio: in Deo
Spes fixa, sortis qui violentia
Me sæuentis non sinet opprimi.
Renesq́ flammis & penetralia
Scrutare cordis, cæcaq́ sensuum
Arcana, fusum ceu calidis focis
Explorat aurum callidus artifex,
Mentem videbis munificentiæ
Quæ dona nunquam non meminit tuæ:

Actæq́

Actæq; leges puriter ad tuas
Vitæ carentem flexibus orbitam.
Procul faceſſat, nec ſocium ſibi
Me vana ſperet lingua: procul domo
Noſtra recedat, qui didicit ſuos
Fucare ſenſus pectore ſubdolo.
Odi ſceleſtûm conſilia, impios
Cœtus veneno peius abominor:
Quorum reſultant pectora gaudio
Quum perpetrarunt facta nefaria.
Sed mente praui non ſibi conſcia,
Lotusq; puris fontibus ad tuas
Aras adibo, lætus & offeram
Lætæ choreæ dux tibi victimas.
Te noſtra pangent tympana, te lyra.
Te vox canoro conſona tympano,
Lyræq;: cœtuq; in celebri tua
Miranda pandet facta nepotibus.
Tectumq;, nomen quo canitur tuum,
Aedemq;, numen qua colitur tuum,
Mens ardet: abſentem retrahunt tuæ
Quæ templa celant pignora gloriæ.
Hæc oſſa tellus ne ſine vt obruat
Inter cruentos barbara barbaros,
Qui fraudulenta mente coquunt ſcelus,
Captant auara munera dextera.
Ergo inſtitutum capere tramitem
Pergam innocenter: tu propius meis

Aurem benignus questibus admoue,
Ac me periclis tristibus assere.
„Per plana firmo quòd gradior pede,
„Quòd recta sector, muneris est tui.
Ergo salutis te columen meæ
Cœtu in celebri laudibus efferam.

PSAL. XXVII. Dominus illuminatio mea, & salus mea, &c.

ARGVMENTVM.

Exponit hanc sese in Deo fiduciam
Habere, nullis vt metuat ab hostibus.

CARM. GEN. 3.

DEus in tenebris quum mihi præluceat,
Vitamq; muniat meam,
Quæ vis aperta terreat me? quæ mihi
Fraus cæca sit formidini?
Aduersus vnum quum scelesta factio
Cunctas parasset copias,
Dolosa letho quæ tetenderant meo
Ipsi incidêre in retia.
Si comminentur castra, si minacibus
Infesta telis agmina,
Securus animi specto castra, prælia
Timore liber intuor.
Vnum expetiui, & vsque & vsque id expetam,
Curis vt exemptus malis,
Sim sacrosanctæ semper ædis incola:
Augusta mirer atria,

Deoq;

Deoq; laudes personem, artus dum regis
Vitalis auræ spiritus.
Tum me sub vmbra conditum tentorij
Celabit, & periculis
Procul remotum, rupis abruptæ velut
In arce positum, muniet:
Ac ne relictum nunc quidem impiæ sinet
Vi factionis opprimi.
Victorq; soluam vota, neo victoriæ
Auctor mihi tacebere.
Audi inuocantem supplicem, & fractum malis
Bonus fauensq; subleua.
Te mens anhelat, vultus ad vultum tuum
Intentus vsque respicit:
Ne conde vultus lumen à me amabilis,
Neu me in tenebris desere.
Seruum per iram ne sine opprimi tuum:
Vitamq; quam debet tibi,
Tuere ab hoste, & è periclis eripe,
O spes salutis vnica.
Me cari amici, me propinqui, me pater,
Me blanda mater liquerat:
At non reliquit, qui pios in asperis
Non deserit rebus, Deus.
Parens benigne me vias doce tuas,
Rectaq; deduc semita:
Ne vis metusq; ab hoste me deterritum
De calle recti detrahat.

Ne me impiorum obnoxium libidini
Relinque. Testes impij
Fingunt malignè falsa de me crimina,
Armantq; se mendacijs.
Mens victa tantis iam fatisceret malis,
Ni spes foueret me tua
Benignitatis, post labores anxios
Mox affuturum gaudium.
Viuusq; viuos inter ipse commoda
Vitæ beatæ præstolor.
In rebus ergo turbidis ne concide,
Sed fortis vsque sustine.
Te roborabit Dominus, & cor fulciet:
Tu fortis vsque sustine.

PSAL. XXVIII. Ad te Domine clamabo, &c.

ARGVMENTVM.

Precatio est, qua in maximo periculo
Vsus fuit vates pius.

CARM. GEN. 16.

PRinceps stelliferis altior orbibus,
Vitæ præsidium & certa salus meæ,
Aurem supplicijs da facilem meis.
Ne fiam similis busta petentibus.
Audi vota parens, quæ tibi profero
Supplex cum gemitu, brachia porrigens
Ad cœlum tremulis peruigil ignibus,
Cœlum templa tuæ conscia gloriæ.

Ne

Ne me connumera cœtibus impijs,
Neu tanquam socium plecte nocentibus:
Quorum blanditijs illita mollibus
Lingua est, mens gelido liuida toxico.
Illis nequitiæ præmia sint suæ,
Et merces studijs æqua nefarijs:
Pro semente legant semina, peßimis
Dignum consilijs supplicium luant.
Non his consilij prouida vis tui
(Qui me conspicuis tollis honoribus)
Infectá sue manus à scelere auocat,
Aut infesta odijs pectora mitigat.
Ergo nec series longa propaginis
Florebit, patrias nec soboles opes
Longæua accipiet: sed celeri genus
Clades exitio proruet ac domum.
Laus rerum Domino, qui precibus meis
Se non difficilem præbuit: hinc meæ
Vires, hic clypeus rebus in asperis:
Hinc spes, auxilium hinc non dubium in malis.
Hinc cor gestit ouans: carminibus tuas
Laudes ora sonant: qui populum tuum
In rebus trepidis protegis, & tuum
Regem ex insidijs omnibus eripis.
Custodi populum rex hominum tuum.
Hebri fac soboles largiter omnibus
Vitæ continuò fructibus affluat,
Donec perpetuum sol referet diem.

PSAL. XXIX. *Afferte Domino filij Dei, &c.*

ARGVMENTVM.

Potentiam patris celebrat, edocens
Casu minus vim hic imbrium atque fulminum
Austriq́ue sed nutu Deorum existere.

CARM. GEN. 5.

SEu diues auro es, siue opibus potens,
Seu Marte parta clarus adorea, gloria
Agnosce numen gratus, & huc refer
Quæcunque lætum ducis ad exitum.
Huic pange laudes, & prece supplice
Rerum parentem concilia: & Dei
Nutu regentis stelliferam domum
Dignare iustis nomen honoribus.
Cuius liquentes vox grauida pluit
De nube rores, terrificos ciet
Cœlo tumultus cum tonitru, maris
Turbata ventis concitat æquora:
Vox dignitatis plena, nec irritæ
Vnquam ad patrandum iussa potentiæ
Nudare cedris seu Libanum iuuat,
Celsasq́ ventis sternere fraxinos:
Seu vincta saxis saxa reuellere,
Notisq́ montes sedibus erutos
Versare, taurum vt verna per auia
Vexat iuuentæ læta proteruitas.
Ad vocis istum nubibus exilit Ex ouidij 6 Metam: Exiliantq; cauis elisi nubibus ignes.

Elisus

Elisus ignis, tesqua Arabum tremunt:
Feræ pauescunt: ante diem fluunt
Partus acerbi: robora concidunt.
Quæcunque templo cœlum habet aureo,
Quæcunque tellus Dædala sustinet,
Quæ celat vndis æquor in abditis,
Dei fatentur cuncta potentiam.
A voce vindex Pontus inhorruit,
Vndusq; montes obruit, arbiter
AEterne rerum, quum libuit tibi
Delere gentes fluctibus impias.
Te dante vires, non opibus feros
Horremus hostes, non numero graues
Te dante pacem, progeniem Isaci
Cornu beabit diuite copia.

PSAL. XXX. Exaltabo te Domine, &c.

ARGVMENTVM.

Morbo à grauissimo solutus, numini
Grates agit poeta clementissimo.

CARM. GEN. 6.

TE nostra semper carmina, te lyra
Sonabit, orbis arbiter optime:
De faucibus lethi imminentis
Incolumis tibi vota reddam.
Per te superbus nec lacrymis meis
Insultat hostis, nec fruitur malis:
Te rebus, incertus salutis,
Auxilium in dubijs poposci.

Per te

Per te receptis viribus haurio
Vitalis auræ lumen amabile:
Nec inferûm sub nocte longa
Et tenebris iaceo sepulchri.
O turba puris dedita ritibus
Sacrisq; castis, tollite laudibus
Placabilem votis parentem,
Et memori celebrate plectro.
Vanescit iræ vindicis impetus
Bullæ fugacis more: Dei fauor
Bonis manu vitam benignæ
Tristitiæ vacuam rependit.
Si fortè sero vespere fletibus
Vultus rigamur, mox redit aurea
Cum luce risusq;, & iacentes
Exhilarans animos voluptas.
Pacis beatæ quum fruerer bonis,
Mecum loquebar, De stabili gradu
Felicitatis nulla sortis
Me dubiæ quatiet procella.
Te dante vires, diuitias, decus,
Te montis instar mœnibus æneis
Firmante regnum, vanum alebat
Credulitas mihi blanda fastum:
Tu me relicto, stultitiæ meæ
Dextram retraxti. retro abijt, domum
Repentè turbatam relinquens,
Sors leuibus malefida pennis.

O pra-

O præses orbis, pectore supplice
Mox te vocaui, te lacrymis madens
Opem poposci. Quid profusus
Profuerit tibi sanguis? inquam.
Quis mortis vsus nostræ erit? an tuas
Laudes sonabunt, factaq; posteris
Miranda muti prædicabunt
Sub gelido cineres sepulchro?
Placatus aurem da facilem meis
Votis, seueros neu querimonys
Auerte vultus. pelle membris
Pestiferi mala dura morbi.
Tu supplicanti protinus admoues
Aurem benignus: pro lacrymis mihi
Risum reducis, pro dolore
Lætitiamq; alacremq; plausum.
Te semper ergo carmina, te lyræ
Nostræ sonabunt: vox tibi seruiet
Dicata, præbebitq; nostris
Materiem tua laus Camœnis.

PSAL. XXXI. *In te Domine speraui, non confundar in æternum, &c.*

ARGVMENTVM.

Sua precatur pro salute cœlitum
Patrem, ipsiusque lenitatem prædicat.

CARM. GEN. 10.

IN te locaui spem meam
Rerum creator optime:

At

At tu benignus prospice
Ne spei pudescat irritæ.
O iuste vindex fraudibus
Ab hostium me vindica:
Audi benignus supplicem:
Da promptus abiecto manum.
Me rupe serua vt inuia
Clausum, vel arce ahenea:
Tu rupis es mihi inuiæ
Munimen, arx ahenea:
Ergo vt timori mentibus
Nomen tuum sit impijs,
Præi viam mihi, abditis
Me libera de cassibus.
Tu robur es meum: tuæ
Commendo vitam dexteræ:
Me libera pacti Deus
Tenax, memorq; fœderum.
Qui vana stulti somnia
Sectantur, odi pessimè.
Tu certa spes mihi es, meæ
Tu portus es fiduciæ.
Inter labores asperos
Lumen tuæ clementiæ
Fulgens, repentè turbidum
Perfudit animum gaudio.
Quum me tyrannis impotens
Vrgeret hostis impij,

Iamiam

Iamiam imminentis pallidis
Lethi explicasti faucibus.
Miserere fracti tot malis,
Tot obruti doloribus.
Caligat oculus, mens stupet.
Mœrore corpus tabuit:
Caduca vita elabitur
Per luctus & suspiria:
Interq́ clades aridis
Fluxêre vires oßibus.
Me ridet hostis, & meis
Insultat insolens malis:
Horrent propinqui: cæteri
Vitant metu periculi.
E proximorum mentibus
Obliteror, ceu mortuus.
Contemptior sum ciuibus
Quàm lamina testæ fictilis.
Me multitudo opprobrijs
Coràm laceßit asperis:
Vim machinatur in meam
Iurata mortem factio.
Ego interim fiducia
Opis tuæ, dolos, minas,
Iniurias, & hostium
Contemno contumelias.
Tu fila vitæ temperas
Meæ, regisq́ tempora:

Tu me

Tu me impiorum libera
Ab hostium tyrannide.
Ostende vultum amabilem
Seruo bonustuo & fauens:
Et me tuere, qua soles
Semper tuos, clementia.
Ne sit pudori quòd tuam
Imploro opem: pudor malos
Confundat, & silentium
Longum sepulchris sopiat.
Assueta vox mendacio
Sit muta, vox procaciter
Solita bonos lacessere,
Et arroganter spernere.
O quanta te colentibus
Et quot redundant commoda!
Quot, teste mundo, prosperis
Auges tuos successibus!
Hos protegis reconditos
Procul à minis potentium,
Tuaq; munis in domo
Linguæ veneno ab impiæ.
Tibi perennis gratia
Sit, rector orbis, qui velut
Munita in arce me procul
Periculis submoueras.
Expes inops vitam fuga
Quum vix tuerer anxiam,

Mecum

Mecum ipse dixi, Iam truci
Reliquit hosti me Deus.
At tu nec in periculis
Oblitus extremis mei,
Aurem benignam supplici
Ac inuocanti admoueras.
Ergo patrem rerum optimum
Amate candidi & pij,
Qui fastuosos deprimit,
Et obsequentes erigit.
Qui spem locatis in Deo,
Constanter illi fidite,
Nec robur animi concidat
Sortis procella turbidæ.

PSAL. XXXII. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c.*

ARGVMENTVM.

Vates suo exemplo docet, si turpiter
Quid sit, nefarieque commissum in patrem,
Et pœnitentiam salubrem existere,
Confessionemque optimo gratam Deo.

CARM. GEN. 15.

O Ter beatum cui Patris optimi
Noxas remisit lethiferas fauor,
Cui fœda morum flagitia obruit
Obliuioso tecta silentio!
O ter beatum cui bonus arbiter

Non imputauit lubrica deuiæ
Errata vitæ, nec reperit dolum
Cæco in recessu pectoris abditum!
Donec fouebam sub tacito sinu
Morbum, solutis languidus ossibus
Artus trahebam, luctificus dolor
Questum ciebat non patiens tegi.
Tu me premebas præualida manu
Infestus, atris seu tenebris diem
Nox condidisset, seu rosea dies
Orbem recurrens luce retexerat.
Sic decolorem tabificus cutem
Mœror coquebat: sic macie dolor
Siccabat artus, messis vt Africæ
Cancri per æstum mitius ardeat.
Tum mente versa vulnera protuli,
Tibi renudaui vitium meum,
Fraudem retexi: ac tu mihi protinus
Noxa soluto conciliatus es.
Qui mentis ergo pura sacraria
Seruare quærit, te prece supplice
Placet: nec, orbem pontus vt obruat,
Formidet æstus lethiferi minas.
Tu me periclis eripis asperis
Tutela præsens: tu mihi gaudia
Toto refundis corpore, vt hostium
Qui vincla fracto carcere depulit.
Nec sat: tenebras pectoris auferam,

Inquis:

Inquis: beatæ qua ferat orbita
Monstrabo vitæ, nec procul à tuis
Vnquam reflectam lumina greßibus.
Mulis equisq; ne similis modò
Sis, brutæ quorum pectora gratiam
Non mutuam nouere, sed asperis
Fracti lupatis seruitium ferunt.
Multa obstinatam nequitiam manent
Tormenta: pura qui dominum fide
Orabit, huic pacem & veniam dabit,
Non durus vnquam parcere supplici.
Recti tenaces simplicis, & quibus
Est grata fraudum nescia veritas,
Fauente læti numine gestibus
Et voce vestrum pandite gaudium.

PSAL. XXXIII. Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio, &c.

ARGVMENTVM.

Exponit immensam Dei potentiam, Clementiam, & sapientiam.

CARM. GEN. 17.

VOS quibus puræ est amor æquitatis,
Læti pangite carmine
Orbis auctorem Dominum: æquitatis
Hoc carmen decet æmulos.
Tinniat blando chelys hunc susurro,
Hunc vocalia nablia,

Docta bisquinis resonare neruis:
Hic artem manus approbet.
Huic nouos cantus meditemur: vni
Læti clangite buccina.
Nam fides dictis rata veritasq; est,
Et factis comes æquitas.
Quippe qui iusti est & amator æqui, &
Veri fallere nescij:
Perq; terrarum sola vasta notæ
Cunctis munificentiæ.
Is suo nutu sinuauit orbem
Lucentem nitidi ætheris:
Quicquid & puris radijs renidet
Campis ætheris igneis.
Littus arctauit maris inquieti,
Compressitq; licentiam:
Et penu clausas sinuauit vndas,
Vnde in tempore promeret.
Hunc & occasus metuant & ortus:
Hunc vnum Dominum colat
Quisquis extremos vbicunque fines
Terræ, aut æquoris accolit:
Cuius à nutu viget, interitq;
Quodcunque interit, aut viget:
Cuius immotis tremefacta parent
Cuncta obnoxia legibus.
Qui malas artes populi profani
Ludit callidior suis.

Et

Et suo iniustæ scelerata turbæ
Fraudat consilia exitu
At quod arcana sibi mente rerum
Auctor proposuit semel,
Dum dies & nox referent se in orbem,
Vsque immobile permanet.
O quater, plusquam quater ô beatos,
Patronus quibus est Deus!
Quos sibi excepit, propriamq; sortem
Quos dici voluit suam.
Despicit mundi pater è beata
Cœli stelliferi domo,
Eqúe tranquillis adytis, labores
Et curas hominum videt.
Quippe qui cæcos animi recessus
Humani fabricauerit.
Nec quod arcano latet in recessu
Clausum pectoris hunc latet.
Sperat incassum numero tyrannus
Se tutum fore militum:
Sperat incassum validis lacertis
Se miles fore sospitem.
Sæpe spem fallit præeuntis Euros
Bellatoris equi fuga:
At Deus iustos oculo irretorto
Semper respicit & pios:
Mortis vt vertat iacula imminentis,
Diram & sæuitiam famis.

Vna spes nobis opis hinc, ab vno
Certum præsidium in malis.
Ille perfundet sibi dedicata
Dulci pectora gaudio:
Ille fidentum sibi spes precesq́,
Lætum ducet ad exitum.

PSAL. XXXIIII. Benedicam Dominum, &c.

ARGVMENTVM.

Vates celebrat prouidentiam Dei,
Et liberalitatem in illos, qui ad thronum,
Sedemq́ue confugiunt patris cœlestium,
Hortatur & cunctos sua ad studia pia.

CARM. GEN. 3.

SEV læta sors me fouerit, seu tristior
Vexârit, omni tempore
Laudabo Dominum, semper illius meum
Os personabit laudibus.
Mihi hæc voluptas, hoc erit solatium,
Mihi hoc leuamen in malis.
Meoq́, turba tristis exemplo suas
Solabitur molestias.
Vnà agite cuncti prosequamur laudibus
Nomenq́, numenq́, illius.
Ille in periclis me vocantem exaudijt,
Statimq́, reppulit metum.

Qui

Quì cuncta ad illum consilia referunt sua,
Læto his nitentes gaudio
Vultus renident, nec repulsæ infamia
Rubore confundet genas.
Ey, pauper iste cùm vocaret, omnibus
Hunc eruit periculis.
Dominum timentum castra munit Angelus
Demissus ad custodiam:
Et imminentes arcet hostes, & pios
A vi tuetur impia.
Facite periclum, iam scietis quàm Dei
Immensa sit benignitas:
Quam sint beati, spes in illo qui suas
Omnes opesq; collocant.
Gens sancta Dominum colite: nil deerit Deum
Fideliter colentibus.
Violenta feritas sentiet famem: bonis
Cuncta affluenter suppetent.
Adeste filij, audite, vobis numinis
Verum timorem vt indicem.
Quicunque curis liberam & longam cupis NB
Vitam beatus ducere,
Linguæ refræna virus, os nefaria
A fraude purum contine:
Capesse recta, curua vita, dilige
Tranquilla pacis otia.
Deus innocentes aspicitq;, & commodat
Intentus aures ad preces:

Toruo ſceleſtos intuetur lumine,
Et nomen etiam obliterat.
Iuſtum inuocantem Dominus audit, omnibus
Eum expedit periculis.
Quum ſpes labores deſerit mortalium,
Afflicta quum moleſtijs
Succumbit oneri mens, Deus præſens adeſt,
Malasq̃ curas diluit.
Iuſtis labores ſuggerit, ſemper pijs
Iniqua ſors conatibus:
Sed qui bonorum ſemper eſt cuſtos Deus,
Sortis retundit ſpicula,
Et oſſa ſeruat ne terantur. impios
Vlciſcitur ſcelus ſuum.
Et quiſquis hoſtis eſt piorum, cum domo
A ſtirpe cæſus interit.
Animas tuetur ſe colentium Deus,
Nec rem domumq̃ deſerit.

PSAL. XXXV. Iudica Domine nocentes me: expugna impugnantes, &c.

ARGVMENTVM.

Implorat auxilium Dei in ſæuiſsimos
Hoſtes, eorum perſequens nefaria
Magno impetu ſermonis, & ſtudia impia.

CARM. GEN. II.

RErum ſancte opifex ades,
Et patrocinio protege me tuo:

Et

Et retro refer in meos
Hostes perniciem, quam mihi comparant.
Scutum cum iaculis cape:
Ensem stringe: meis hostibus obuiam
Prodi: dic animæ meæ,
Secura auxilio nil metuas meo.
In vultus pudor hostium
Et turpis subeat dedecoris rubor:
Fœdam corripiant fugam
Cæcas insidias qui mihi præparant.
Vt sæuus Boreas leuem
Raptat præcipiti turbine puluerem:
Sic illos trepida fuga
Vindex, præcipites vrgeat Angelus:
Et formidine pallida
Vindex præcipites comprimat Angelus:
Sit cœno via lubrica,
Et cœlum tenebris lurida nox tegat.
Nam me fraude mala suis
Conati immeritum prendere cassibus,
Et cæcam innocuo scrobem
Effodêre, suis cassibus hæreant:
Et factam exitium in meum
Cæci & præcipites in foueam ruant.
Perfusa interea mihi
Dulci lætitia pectora gestient.
Mens secura periculi
Authorem Dominum lætitiæ colet:

Et sensus anìmi indices
Clamabunt, Domino quis similis Deo?
Qui fastus grauis improba
Defendit tenues à violentia:
Vexantemq̃, opis indigos
Frangit sæuitiam vindice dextera.
Coniurata calumnia
In me criminibus sæuit atrocibus:
Ignotum scelus in meam
Fingunt perniciem: quæ benè feceram,
Compensant odijs malis,
Et vitæ inuigilant exitio meæ.
Illos tabificæ luis
Aegris visceribus quum dolor vreret,
Squalens veste ego lugubri,
Ieiunaq̃, fame pallidus & siti,
Et prostratus humi, Deum
Lenibam lacrymis & prece supplice.
1 Sic syncerus amici amor
Sub chari interitum luget amiculi:
2 Sic fratrem gemit vnicum
Frater: sic pietas anxia filij
3. Maternum ad tumulum dolet.
Me fortuna graui si tetigit manu,
Concursant, mala gaudia
Inter se celebrant: fæx populi coit:
Incauto inuidiam creant:
Proscinduntq̃, auida me petulantia.

Scurræ

Scurræ cum balatronibus.
Dentem dente acuunt, & rabiem vomunt.
Quem finem patientiæ
Tam lentæ statues ô pater optime?
Arce hoc ludibrium, neque
Desertum rabidis trade leonibus,
Acceptum vt referam tibi
Quòd viuo, & video lumen amabile:
Et cœtu in celebri canam
Te, pronum auxilium ferre vocantibus.
Fac ne spes alat improbas
Semper turba meis læta molestijs:
Neu nutu ac oculis notet,
Exultetq; meis hostis atrox malis:
Qui sermonibus asperis
Insultat, trucibusq; insidijs petit
Pacatum malè callidus,
Incautum vt tacitis illaqueet dolis:
Non diducere desinunt
Rictum risu: Oculis (euge) oculis diem
Lætum vidimus, inquiunt,
O qui luminibus cuncta tuentibus
Terras respicis, hæc vides?
Ergo seposita protege me mora:
Iam tandem euigila, & manu
Vltrice indomitam frange superbiam:
Iusto & supplicio preme
Vindex iuste malos: neu sine de meo

Luctu

Luctu lætitiam ferant:
Neu secum tacito pectore murmurent.
Euax, rectè habet: omnia
Supra vota cadunt: vicimus, en iacet.
Fœda ignominia luant
Stultam lætitiam dedecoris comes
Infamis pudor eluat
Importuna meis gaudia de malis:
At cordi quibus æquitas
Est nostra, ac animus nil sibi conscius,
Vitam tristitia procul
Lætam semper agant: ac Dominum ferant
Cœli ad sydera laudibus,
Qui curis famulos liberat anxijs.
Semper iustitiam mea
Custos sancte hominum lingua canet tuam,
Et præconia, dum mihi
Impellet calidus pectora spiritus.

PSAL. XXXVI. Dixit iniustus vt delinquat in sem. &c.

ARGVMENTVM.

Et cogitationem, & impij canit
Facta improba, & benignitatem numinis.

CARM. GEN. 18.

VT exta flammis mille sacrificis cremes,
Oscula des saxis, ingeminesq; preces,
Arasq; donis largus accumules tuis,

Non

Non facies tamen, vt te rear esse pium.
Scelera reclamant, & negant te credere,
Consilio mundum qui regat, esse Deum.
Vtcunque coram blandiare, non tamen
Impietas tacito pectore clausa latet:
Erumpit ignis instar, ac tui trahit
Secum odium, atque odij perniciem comitem.
Quodcunque loqueris, fraude tinctum est: respuit
Auribus ingratis qui potiora monent.
Scelus nefandum nocte tota cogitas:
Recta fugis: semper deteriora foues.
O magne rector orbis, indulgentiæ
Munera terræ, fretum sentit & astra tuæ.
Quæcunque cœlum amplectitur, parentia
Legibus orta vigent, lapsa cadunt q̃ tuis.
Modus æquitatis & tuæ sapientiæ,
Cunctaq̃ quæ fecit, cunctaq̃ facta regit.
Longè niuosis montium fastigijs
Altior est, vasti gurgitibusq̃ freti:
Humana gens hinc haurit auram & spiritum:
Nec pecudes curam præteriêre tuam.
Hinc cuncta vitæ suppetunt nobis bona.
Dum mens corporeo carcere vincta latet.
Fœtus sub alis volucris vt tegit suis,
Præsidij fugimus spe mala cuncta tui.
At exul animus morte liber patrium
Quum repetet limen sydereamq̃ domum,
Illinc egestas & dolores exulant:

Nemo

Nemo feret votis non potiora suis.
Passim voluptas, pura passim gaudia:
Delitias largo flumine riuus agit.
Illic perenni vita fonte profluit:
Vita, grauis fati non resecanda manu.
Illinc fatiscent mentium caligines,
Quæ modò sub tenebris pectora nostra premunt:
Vultuq; radius purus effusus tuo,
Lumine nos puræ cognitionis alet.
Benignitatis interim tuæ bonis
Qui te cognoscunt & tua facta, foue:
Qui mente pura veritatem diligunt,
Iustitiæ facias commoda ferre tuæ.
Me nec feroci calcet arrogans pede:
Exigat aut tectis impia turba meis.
Qui scelere gaudent, scelere sic ruant suo,
Perpetuò vt lapsos iusta ruina premat.

PSAL. XXXVII. Noli æmulari in malignantibus, neq;, &c.

ARGVMENTVM.

Ad Faustinum Barbonum Soncinensem.

Quem semper odisti impium carissime
Barbone, cantus hic monet
Vatis cauendum, atque id, quod integerrimus
Parens amauit, iugiter

Aequum

Aequum sequendum, optata quò nobis
Contingat immortalitas.

CARM. GEN. 10.

NE liuor vrat æmulus
Te, si beatos videris
Prauos, nec Euris ijs opes
Fugaciores inuide.
Nam sic facessit ilico
Vmbratilis felicitas,
Marcent comis arentibus
Vt falce secta gramina.
At tu Dei fiducia
Incumbe rectis artibus:
Diuq; terram vt incolas
Donabit, ac te nutriet.
In hoc sit oblectatio,
In hoc voluptas vnica:
Is te fouebit iugiter,
Votiq; reddet compotem.
Committe vitam, rem, decus
Illius vni arbitrio:
Animi tibi ex sententia
Confecta reddet omnia.
Illustris auroræ vt iubar
Tua faciet vt sit æquitas:
Vt luce virtus sit tua
Meridiana clarior.
Perser modestè, quod tulit

Fortuna

Fortuna læua, neu tumens
Ira impiorum prosperas
Res cerne toruo lumine.
Compesce bilem, noxia
Facessat indignatio:
Ne fors nefarium ad scelus
Impellat æmulatio.
Eliminantur impij
Fumo leui velocius:
Terras modestus incolet,
Serisq; linquet posteris.
Morare paulum, & impium
Nusquam videbis: aspice
AEdes, superbi vix heri
Agnoueris vestigium:
Modesta bonitas otio
Lætam senectam transiget,
Et incolenda hæredibus
Paterna linquet prædia.
Clàm rete nectit impius,
Bonisq; concinnat dolos:
Et dente frendens liuido,
Dolore & iraringitur.
Hæc cernit ex alto Deus,
Minasq; ridet irritas:
Quippe imminentem vertici
Cladem scelesto prospicit.
Ensemq; stringet improbus,

Arcumq;

Arcumq; tendet, pauperes
Vt perdat, ac innoxios
Figat sagittis impijs.
District us ensis in sui
Domini redibit viscera:
Frangetur arcus lethifer,
Et frustra acuta spicula.
Præstat supellex sobria,
Rectegq; parta recula,
Quàm rapta per vim diuitum
Fastidiosa copia.
Malè parta iustus arbiter
Disperget, & potentiam
Franget scelesti: dextera
Iustum sua tuebitur.
Innoxios fouet Deus,
Ac rem tuetur: prouidet
Longæua vt vsque in sæcula
Sit sempiterna hæreditas.
Seu pestis atra, seu furor
Turbabit orbem bellicus,
Nil deerit vsque innoxio,
Famem nec ægram sentiet.
Sic hostis impius Dei
Perit repentè funditus,
Adeps opimæ vt victimæ
Vanescit in fumos leues.
Nil donat vsque & fœnerat

Iniustus: at iusto sua
De sorte superat paupere
Quod donet indigentibus.
Iustorum amici prædia
Linquent suæ propagini:
At hostium radicitus
Semen peribit erutum.
Amatq́, iustum & dirigit
Eius Deus vestigia:
Dextra ruentem sustinet,
Lapsumq́, dextra subleuat.
Puer fui, nunc sum senex,
Ope destitutum nec pium
Videre memini, nec stipem
Eius petentes liberos.
Iustus misertus pauperum
Dat vsque & vsque mutuum:
Seræ tamen propagini
Non larga deest opulentia.
Vita scelus nefarium:
Sectare recta: dum diem
Sol fundet aureum, tui
Terras nepotes incolent.
Deus æquitatem diligit,
Bonos nec vnquam deserit:
At interibit funditus
A stirpe semen impij.
Iustus beata iugera

Agri

Agri tenebit, & colet
Cum prole, donec vltimus
Instabit orbi terminus.
Sermo sapiens & æquitas
In ore semper est bonis:
In corde scripta lex Dei,
Ne pes labet, gressum regit.
Obseruat impius pium
Vt perdat: ast illum Deus
Custodit, ante iudicem
Tuetur à calumnia.
Spem colloca in Deo, Dei
Sectare leges: & dabit
Diues potensq; vt hostium
Cernas superstes exitum.
Vidi potentes impios,
Grauiq; fastu turgidos
Virescere instar laureæ
Amœna propter flumina.
Specto repentè: en lubricæ
Imago nusquam gloriæ:
Nusquam manent vestigia
Cunctis grauis potentiæ.
Iusti intuere & integri
Vitæ statumq; & ordinem,
Videbis alto in otio
Lætam senectam degere.
At prompta semper lædere

Prorsum interibit factio:
Vitamq́, claudet terminus
Dignus patratis nequiter.
Iustus salutis collocat
Omnem in Deo fiduciam:
Qui fulcit æquos robore,
Aduersa quum sors intonat.
Et in periclis liberat
Ab impijs qui se & suam
Illi salutem credidit.

PSAL. XXXVIII. Domine, ne in̄ furore tuo, &c.

ARGVMENTVM.

Deplorat hoc suum nefas poëmate,
Et propter id quæ fert mala.

CARM. GEN. 3.

NE me furoris æstuante incendio
Seruator orbis argue:
Neu promerentem quamlibet pœnas graues
Pergas per iram plectere.
Hærent medullis penitus infixæ meis
Tuæ sagittæ dexteræ.
Iræ tuæ hinc me & inde mentis consciæ
Sic vis pauentem perculit,
Vt nulla plagis saucij pars corporis
Non langueat lethalibus:
Ossa vt solutis artuum compagibus

Scelerq́

Sceleris venenum attraxerint.
Sceleris profundo quod meum ceu gurgite
Caput resorbens obruit:
Quod in alta rursus me renitentem velut
Immane saxum degrauat.
Veteris cicatrix vulneris recruduit,
Vomitq̃ tabem luridam.
Afflictus, humilis vltimis premor malis,
Luctu situq̃ squalidus.
Clausumq̃ cæcis feruet in præcordijs
Vlcus, nec vlla corporis
Expers doloris pars vacat. Sic debilis
Et fractus vsque & vsque sum,
Malis vt impar voce lamentabili
Cor eiuletq̃ & rugiat.
Dominator orbis, vota nec animi mei,
Nec te latent suspiria.
Pauens tremensq̃ turbidum cor palpitat:
Defecta membra viribus
Torpore marcent languido: noctem trahens
Caligat acies luminum.
Vicini, amici, & sanguinis communio
Quos propior admorat mihi,
Procul abstitêre, fœditatem vulnerum
Vix sustinentes cernere.
At prompta semper in meum exitium manus,
Molita vim nefariam,
Dolosa tendit continenter retia

Fraudesq; versat impias.
Ceu mutus ore, surdus aure, ego interim
Obtorpui silentio,
Elinguis instar & stupentis, crimina
Qui nesciat refellere.
In te reposita est spes mea: ô rerum potens
Rector benignus annue,
Ne risus hosti sim superbo, qui meis
Insultat insolens malis:
Qui, si vacillent lubrico lapsu pedes,
Læto triumphat gaudio.
Ad perferenda sum paratus verbera:
Vibice semper area
Cruenta turget exarati corporis
Sulcis flagrorum grandibus.
Merui scelestus fateor, heu merui: nocens
Do iure pœnas debitas:
Sed inualescit hostis atrox interim,
Viresq; sumit factio.
Viuunt, vigentq;, & immerentem iniuria
Me prosequuntur: pro bono
Malum rependunt: iugiter calumnias,
Quia recta sector, ingerunt.
Tu ne recede longius, neu deseras
Periculis in vltimis.
Accurre: dextram da salutarem, meæ
Salutis auctor vniçe.

PSAL.

PSAL. XXXIX. *Dixi, custodiam, &c.*

ARGVMENTVM.

Rex Absalonis impetum fugiens pius
A Semeo in via (arbitror) pauperrimo
Despectus, humanas vices, in commoda
Luget, querens oratione flebili.

CARM. GEN. 3.

QVum sæuus hostis me, meo lætus malo,
Lacesseret conuitijs,
Mecum ipse verbis abstinere ab asperis
Et iurgijs decreueram:
Linguæ obseraui claustra fræno: pertinax
Obmutui silentio.
Ac temere ne quid os mali profunderet,
Verbis bonis clausi exitum.
At ignis instar, vetitus egredi dolor,
Exarsit intus acrius.
Tandem obstinatæ fræna pertinaciæ
Perfregit ira, ac talibus
Dominum rogaui, Mihi meæ vitæ modum
Qui sit futurus, indica.
Quando euolabo liber hoc molestiæ
Fastidioso è carcere?
Tu clausa nullo sæcla degis termino,
In te beatus ac potens:
At nos quod æui viuimus penè est nihil,
Ac penè breuius quàm nihil,

Vmbræ fugacis instar atque imaginis
Quam reddit æquor vitreum:
Idq̃ ipsum inani in vanitate atq̃ anxijs
AEgrescit in laboribus.
Animum libido torquet, inflat gaudium,
Spes tollit, ac timor premit.
Tumultuamur temerè: congerimus bona
Incognitis hæredibus.
Quò me ergo vertam? quis laboranti feret
Opem? quis eximet malis?
Spes omnis in te: miseriæ fontem meæ
Peccata tolle noxia.
Néue esse stultis me sinas & improbis
Despectui & ludibrio.
Hostis proterui lingua me quum turpibus
Pro scinderet conuitijs
Obmutui: iræ vindices pœnas tuæ
Has esse gnarus scilicet,
Rector parensq̃ gentis humanæ tuæ
Paulisper aufer verbera.
Viresq̃ linquunt, vita nec semper nouis
Plagis ferendis sufficit.
Te persequente scelera pœnis, ilico
Vigor decorq̃ defluit,
Tineis peresæ more vestis. O homo
Caduca res & futilis!
Parens benigne precibus aurem da meis:
Neu verba sperne supplicis.

Neu

Neu lacrymanti auerte vultus hospiti.
Namque hospes hanc terram colo:
Nec ego, parentes nec mei certum locum
Habemus hîc: sed in diem
Solliciti & horas, turbidas molestias
Vitæ breuis transegimus.
Igitur seueram paululum abstine manum,
Fessum vt resumam spiritum:
Mortis priusquam, reditus vnde non patet,
Transmiserit me ianua.

PSAL. XL. Expectans expectaui Dominum. &c.

ARGVMENTVM.

Diuina proles pro suo reditu, vt patet,
Ad vitam, agit grates patri.

CARM. GEN. 16.

QVum circum fremerent me timor & minæ,
Intentansq; auidam mors fera dexteram,
Spes cœlestis opis sera licet, tamen
Lenibat trepidam sollicitudinem.
Aduertit Dominus, meq; voragine
Cœnosi implicitum gurgitis extulit:
Ac saxi solidis imposito iugis
Monstrauit facilem qua graderer viam.
Afflauitq; nouo pectora spiritu,
Suffecitq; suæ materiam nouam
Laudis, quam canerem dulcè loquacibus
Neruis, ac numeris lenè sonantibus.

Hæc cernant rapidæ qui violentiæ
Fati vel dubijs casibus imputant
Euenta, ac trepidi se Domini in fidem
Dent qui stellifero regnat in æthere.
Felix qui stabili spe Dominum ac fide
Spectat, quem tumidæ pompa superbiæ
Non ad se illecebris ducit inanibus,
Fallaciq; boni ludit imagine.
In nos sancte parens quot vigilantiæ
Et quàm mira tuæ pignora suppetunt!
Quæ nec mens acie cernere languida
Possit, nec numero lingua retexere.
Aurem mi tacitè vellis, & admones
Quòd labem sceleris nec pretium leuet,
Nec sanguis pecudis nil meritæ eluat,
Nec consumpta focis expiet hostia.
Tum dixi, Venio: quod libet impera.
Adsum sancte parens, iussa capessere
Promptus: ceu tabulis scripta fidelibus
Edunt perpetui fata voluminis.
Huc mens, huc studium tendit, vti tuis
Conformem monitis quæ gero, quæ loquor,
Quæ mecum tacitus cogito. nam tua
Incisa est animo lex penitus meo.
Famam iustitiæ per populos tuæ
Latè præco fero: nec labijs meis
Nec linguæ requies, omnibus vt tua
Terris (ipse vides) nota sit æquitas.

Nec

Nec iustum tacui te mala plectere,
Promißiq; tenacem, & miseris opis
Largum: me bonitas indice gentibus
Cunctis facta palàm est, & tua veritas.
Defendant igitur me bonitas tua,
Promißiq; fides fallere nescia:
Obsessumq; malis innumeris tua
Me rerum genitor protege dextera.
Me pœnæ, capitis quæ superent pilos,
Omni ex parte premunt: quas neque luminis
In promptu est acie nosse: animus stupet,
Curarum innumeris obrutus æstibus.
At tu mundi opifex sancte, salutifer
Adsis: auxilium fer citò, & vltimis
Oppressum penitus subtrahe me malis,
Vt praui pudeat consilij improbos.
Turpem ignominiæ tristitiam ferant,
Tendunt exitio qui laqueos meo:
Infamem referant consilij exitum
Nostris qui capiunt lætitiam è malis.
Hunc fructum sceleris percipiant sui,
In fraudem vt recidant quam mihi struxerant.
Frustratus doleatq; & rubeat meas
Qui ridet lacrymas, & fruitur malis.
Qui credunt fidei se penitus tuæ,
Illos auxilij spes recreet tui:
Ac semper Domini nomen amabile
Certent tergeminis tollere honoribus.

Expes,

Expes, pauper, inops sim licet: at mihi
Custos rerum opifex peruigil excubat.
Vitæ ô præsidium & certa salus meæ
Adsis, neu trepida me crucia mora.

PSAL. XLI. Beatus vir qui intelligit super egenum, &c.

ARGVMENTVM.

Commendat, afflictis piè qui consulunt,
Accusat improbos, suo qui cùm grauis
Langueret æger, vsque erant læti malo.

CARM. GEN. 3.

BEatus ille qui misertus pauperis,
Fert rebus in duris opem:
Nec arroganti despicit fastidio
Prostratum & oppressum malis.
Quem rere fractum & penitus abiectum, Deus
Attollet & solabitur.
Cura fidelis Dominus illum muniet,
Et è periclis eruet:
Interq; viuos sospiti dabit frui
Vitæ beatæ commodis.
Artus cubili quum dolor prostrauerit,
Opem feretq;, & lectulum
Versabit: omnem prorsus ægritudinem
In dulce vertet gaudium.
Quum me doloris vis acerbi affligeret,
Opem poposci te Deus.
Animæ medêre sauciæ (dixi) sui

Scele-

Sceleris pudendo vulnere.
Dira imprecatur hostis, ac me deuouet,
Lætus meis incommodis,
Quando interibit, (inquit) & cum corpore
Nox vna nomen obruet?
Si fortè quis me visit horum, corporis
Animiq; morbis anxium,
Vultu dolorem fingit, ac suspiria
Læto trahit de pectore.
Foras profectus conditum in præcordijs
Repentè virus euomit.
In me susurrat clanculum atq; obmurmurat
Scelesta conspiratio.
Clam machinantur sæua, in exitium meum
Consilia cuncta conferunt.
Secumq; iactant, Missa certè cœlitus
Nunc dira vis mali hunc ligat:
Prostratus hæret: lectulo affixus iacet,
Noctem trahens nouissimam.
Quin & sodalis, & mihi mensa & domo
Coniunctus, & cui maximè
Fidebam, ad hostes conferens sese meos,
In me ferox recalcitrat.
At tu salutis author & custos meæ,
Benignus in me respice:
Manum iacenti da salutarem, hostibus
Parem vt rependam gratiam.
Tui fauoris pignus id certissimum

Erit

Erit mihi, & constantiæ
In me tuendo, quòd malis lætus meis
Hostis ferox non gestiat.
Vires recepit corpus, innocentiam
Seruauit animus, dexteram
Te porrigente, qui receperas tuam
Semper tuendum me in fidem.
Agnoscat orbis vnicum & colat Deum,
Quem gens honorat Isaci.
Vnumq; laudet, temporum donec vices
Luces & vmbræ diuident.

GEORGII BVCHANANI

PARAPHRASIS, IN II. *librum Psalmorum.*

PSAL. XLII. Quemadmodum desiderat ceruus, &c.

ARGVMENTVM.

Vt æstuaret, narrat hic, cùm per nefas
Eiectus hoste Saule non templum Dei
Valeret augustissimum subire, nec
Cum cæteris offerre sacra numini.

CARM. GEN. 13.

Non ceruus fluuios sic auet algidos,
Ceruus turba canum quem premit, vt tui

Cor

Cor desiderio carpitur anxio,
Rerum conditor optime.
Huc me raptat amor dulcis, & impotens
Ardor ferre moras. O niueum diem
Qui templo reducem me statuet tuo!
O lucis iubar aureum!
Ieiunus lacrymis pro dape se dolor
Pascit, turba meis obuia dum malis
Illudens rogat, Heus iste tuus Deus
Cur nunc deserit exulem?
At rursus bonitas quum subijt tua,
Et menti auxilij certa fides tui
Illuxit trepidæ, temporis illius
Me consolor imagine,
Festis quum populus me reducem choris,
Faustisq; excipiet vocibus, & Dei
Pompa cum celebri me comitabitur
Augusta ad penetralia.
Cur me sollicitis teq; doloribus
Mens ægra exanimas? pone metum, ac Deo
Te da: quo patriæ vindice redditus,
Grates sospes adhuc ãgam.
Hæc mentem recreat spes, licet auijs
Iordanis lateam saltibus, Hermoni
Exul dura licet saxa perambulem,
Solis hospita belluis.
Quamuis agminibus me mala densius
Omni ex parte premant, quàm super horridos
Montes

Montes grando sonat, quàm mare verberat:
Raucis littora fluctibus.
Tu si me placido lumine videris,
Cedent tristitiæ nubila: tetricas
Mœroris tenebras discutiet mihi
Lucis dulce iubar tuæ.
Laudes interea non mihi nox tuas,
Non curæ impedient: ô columen meum
(Dicam) & certa salus, ludibrium feris
Cur me deseris hostibus!
Derumpor: tacitis æstuat ignibus
Pectus, turba meis impia dum malis
Insultans rogat, Heus iste tuus Deus
Cur nunc deserit exulem?
Cur me sollicitis teq; doloribus
Mens ægra exanimas? pone meum, ac Deo
Te da: quo patriæ vindice redditus,
Grates lætus adhuc agam.

PSAL. XLIII. *Iudica me Deus, & discerne caus. &c.*

ARGVMENTVM.

Cantus quæ fuit est eadem modò summa prioris.

CARM. GEN. II.

VIndex esto mihi Deus,
Et patrocinio protege me tuo,
Oppressum scelere impio:
Et fraudum laqueos frange nefarios.

Vitæ

Vitæ ô præsidium meæ,
Cur me præsidio destituis tuo?
Cur luctu vagor obsitus,
Dum seuæ furias vito tyrannidis?
Profer lumen opis tuæ:
Montem pande viam quæ ferat ad tuum:
Montem, quam propriè domum
Maiestate tui numinis incolis
Atque aram adueniam ad tuam,
Ac te, lætitiæ materiam meæ.
Et grata cythara tibi
Grates lætus agam conditor optime.
Cur mœres anime anxie,
Ac me sollicito pectore maceras?
Omnem pone metum, ac Deo
Curam crede tui, quem super æthera
Cantu sospes adhuc feram,
Quum saluus patriæ reddar amabili.

PSAL. XLIIII. Deus, auribus nostris aud. &c.

ARGVMENTVM.

Iudæa lamentatur à crudelibus
Gens barbaris vexarier, nec cœlitum
Regem adiuuare ipsos, eorum qui patres
Defenderat, beneficijs ornauerat
Quàm maximis: precatur, vt numen suum
Præsens sit ipsis, eruatque angustijs.

CARM. GEN. 3.

VEtusta ad aures fama nostras attulit,
Seriq; patres posteris
Stupenda facta tradidêre à te Deus
Patrata priscis sæculis:
Eliminatis quum prosanis gentibus,
Et incolis prioribus,
Horum labore fructibusq; perfrui
Nostris dedisti patribus.
Certè nec armis lucidis nec viribus
Debemus has victorias:
Sed nos fauoris aura mollis & tua
Protexit indulgentia.
Ergo salutis author vnice ô Deus
Ades pijs salutifer.
Te dante vires, hostium ferociam
Tam facilè profligabimus,
Taurus minaci quàm iacit cornu pilas,
Stipulæúe fasces aridæ.
Superba regum colla crasso in puluere
Prostrata conculcabimus.
Non arcus istam lethifer fiduciam,
Non mucro sæuus ingerit:
Tu nos ab hoste subtrahes, sternes solo
Infensa nobis agmina.
Non ergo semper iure te laudabimus
Nostræ salutis vindicem?
Ac donec orbis astra voluet ignea,

Te pro-

Te prosequemur laudibus?
At nunc relictos obijcis ferocium
Iniuriæ nos hostium,
Nec prodis ante nostra ductor agmina
Qualis solebas antea.
Hosti imminenti terga cogis vertere:
Prædæq; das prementibus.
Pecus vt macello destinata exponimur
Cædentium libidini,
Omnesq; terras barbararum gentium
Errore complemus vago:
Vænum dedisti nos palàm, nec auctio
Te ditiorem reddidit.
Vicina nostris oppida insultant malis,
Cladesq; rident: fabula
Sumus profanis nationibus: caput
Motant, labella exporrigunt.
Oculis oberra vsque contumelia,
Pudorq; vultus inficit:
Dum voce acerba iniurias exasperat,
Minasq; toruas adijcit
Hostis proteruus. Obruit tot cladibus,
Tot vndequaque instantibus,
Tamen nec vnquam est animus oblitus tui,
Tecumq; pacti fœderis:
Sese nec vllis territus periculis
Auertit aut flexit via
Recta pes: etsi penitus abiecti interim

Abs te: licet draconibus
Immitioris gentis addicti iugo,
Feramus vmbram ergastuli:
Et seruitutem lugeamus, & necem
Vitæ precemur tædio.
Iniqua meritis si tuis obliuia
Offuderint se mentibus
Nostris, manusq; supplices protendimus
Dijs impiarum gentium,
Id te lateret, abditas qui pectoris
Prorsus latebras inspicis?
Te propter odio cæteris populis sumus,
Et instar ouium cædimur.
In te fauoris pendimus pœnas: tui
Amoris odia nos premunt.
Exurge: similem somnolentiæ moram
Salutis auctor corripe.
Cur ora condis, immemorq; negligis
Tuos malis in vltimis?
Afflictus animus, & malis præsentibus
Lassus, futuris anxius,
Succumbit oneri: strata tabescunt humi
Defecta membra viribus.
Exurge genitor, & vigore corporis
Animiq; cassos subleua:
Clemens bonusq; nos ab hostis impij
Immanitate libera.

PSAL.

PSAL. XLV. *Eructauit cor meum verbum bonum, &c.*

ARGVMENTVM.

Est nuptiale carmen hoc vatis pij,
In quo supremi principis
Regnum, decorq̃ue virginis sponsæ ipsius
Cantu celebratur nouo.

CARM. GEN. I.

Cor micat, exultant trepidis præcordia fibris,
Eructantq̃ nouum grauido de pectore carmen:
Certat lingua animũ fando, manus æmula linguam
Scribendo exæquare, meo noua carmina regi
Dum cano: regi, hominum cui nemo è semine cretus
Audeat eximiæ contendere munere formæ:
Quem decorat lepor, & roseis affusa labellis
Gratia: cui rerum cœli indulgentia spondet
Hunc fore perpetuum longæua in sæcla tenorem.
Ergo armis inuicte heros age, fortibus apta
Ensem humeris, ensem, per quem te gloria cœlo
AEquat: & aduersum fidens per pectus in hostem.
Fræna tibi currus verum moderetur & æquum.
Et quæ præcipitem clementia temperat iram.
His ducibus tibi surget honos: tua dextera factis
Clara per ignotas fundet miracula terras:
Cordaq̃ vulnificis figens inimica sagittis,
Sponte tibi coges validas procumbere gentes.
Nec maris aut teræ spatium, nec terminus æui

Finiet imperium, sceptri moderamine iusti
Quod regis, & leges mollis clementer acerbas.
Te super æquæuos omnes regnator Olympi
Diligit: & læto vultum exhilarauit oliuo:
Vnde tui mulcent populi noua gaudia mentes,
Pallia quum loculis tibi depromuntur eburnis,
Et myrrhæ passim lacrymæ, stactæq; suauis
Halitus, & molles casiæ funduntur odores.
Ancillæ apparent genus alto è sanguine regum
Inter honoratas promptæ ad tua iussa ministras.
At regina thori consors tibi dextera adhæret,
Auro picta sinus, auro radiata capillos,
Misit ab Eöis Ophyre quod flaua caminis.
Tuq; adeò regina audi, & rem pectore conde:
Nec mea dicta nega placidas demittere in aures:
Iam nunc & patriam & patrẽ obliuiscere, iam nunc
Ex animo charos penitus depone propinquos:
Vnum oculis specta, vnũ animo complectere regem:
Regem oculis animoq; tuo qui pendet ab ore,
Vnius & pulchris defixus vultibus hæret.
Hunc Dominum agnosce, & supplex venerare: nec (ille
Officio studioq; tibi concedet: & illa
Vndarum regina Tyros de murice & auro
Accumulans colet: & vicina per oppida latè
Procumbent tibi suppliciter gazisq; potentes,
Aut opibus clari: meritumq; feretis honorem
Hunc populi: Pharij proles generosa Tyranni
Tota decens, tota est gemmisq; insignis & auro?

Et

Et facies cultum illustrat facieq̃ decora
Pulchrior est animus. Tibi rex en ducitur vxor
Diues opum, diues pictai vestis & auri,
Virginibus comitata suis de stirpe propinqua,
Virginibus, quas pompa frequens clamore secundo
Insequitur, plausuq̃ fremens, lætaq̃ choreæ
Cantibus augustum lætas deducet ad aulam.
Neu desiderio nimium tangare tuorum
Virgo, tibi dulcem patrisq̃ & matris amorem
Leniet adnascens sobolis generosa propago:
Quos regere imperio terras, totumq̃ per orbem
Aspicies populos sceptris frænare superbos.
Nec tu carminibus regina tacebere nostris:
Quaq̃ patet tellus liquido circumsona ponto,
Posteritas te sera canet: dumq̃ aurea voluet
Astra polus, memori semper celebrabere fama.

PSAL. XLVI. Deus, noster refugium & virtus, &c.

ARGVMENTVM.

Sacro alloquens cætus bonorum hoc cantico
Quot prælia, oppugnationes, bella sit
Passurus aduersario à suo canit.

CARM. GEN. 6.

QVum muniat nos præsidio suo,
Virtute firmet, quum grauis intonat
Procella, fortunæ periclis
Eripiat dominator orbis,

Nullam expauemus vim, quatiat licet
Orbem tumultus, terraq; sedibus
Conuulsa, montium ruinis
Arctet aquas pelagi frementis:
Insana quamuis æquora sæuiant,
Et vorticoso gurgite torqueant
Spumamq; limumq;, & procellis
Terrificis scopulos flagellent.
Nam ciuitatem cui Deus vnicè
Indulget, aris & propriam suis
Dicauit, algenti pererrans
Horat. 1. 2. ode 3. *Lympha fugax hilarat liquore:*
Occulta ne vis aut timor hosticus
Vrbis quietem sollicitet, Deus
Gentis suæ intentus saluti
Præuenit auxilijs pericla.
Gentes tumultus concitet impius,
Et regna belli concutiat furor,
Flammis fremat cœlum coruscis,
Terrificet labefacta tellus:
Hæc & duelli pacis & arbiter
Stat, præliorum qui regit exitus,
Munimen, & nostræ salutis
Præsidium, Deus Abrahami.
Venite, adeste, & cernite non prius
Audita, mira, incognita, quæ Deus
Patrauit in terris ab ortu
Solis ad hesperium cubile.

Funesta

Funesta belli incendia sustulit:
Fregit cruentæ spicula lanceæ:
Contriuit arcus, & volucres
In cinerem minuit quadrigas.
Sedate motus mentis, ait Deus,
Measq; vires noscite, quem colet,
Quocunq; sub cœlo repostas
Gens hominum colit orbis oras.
Hac is duelli pacis & arbiter
Stat, præliorum qui regit exitus,
Munimen, & nostræ salutis
Præsidium, Deus Abrahami.

PSAL. XLVII. Omnes gentes plaudite manibus, &c.

ARGVMENTVM.

Post prælia, & victoriam partam chorus
Apostolorum hortatur ad plausum, & Deo
Grates agendas nationes maximo.

CARM. GEN. 10.

TElluris omnes incolæ
Deo canoros edite
Plausus, canoris pangite
Læti Deum præconijs.
Deum verendum & arduum,
Malisq; formidabilem,
Qui regna fastu turgida
Frænat potenti dextera:

Qui bellicosa compulit
Parêre nobis oppida:
Nostrumq; gentes inclytas
Armis coëgit sub iugum.
Hæreditatem qui suam
Nobis colendam credidit:
Vnde Isaci nepotibus
AEterna fulget gloria.
En templa scandit præuio
Lætum canente clasico
En scandit author omnium
Vulgi secundis plausibus.
Cantate læta carmina
Deo, canora carmina
Cantate: regi psallite
Iucunda vestro carmina.
Qui sceptra rerum temperat,
Ac regna terræ diuidit:
Docti modorum dulcibus
Hunc ferte in astra cantibus.
Qui dirigit mortalium
Res, & salubri vinculo
Legum coërcet, lucido
E syderum prætorio.
Ad hunc potentes gentium
Se contulêre principes:
Vltroq; colla sub iugum
Rerum dedêre præsides.

Nostrum

Nostrum Deum dijs cæteris
Sublimiorem agnoscite,
Cœlum, solumq; & sydera
Suo regentem numine.

PSAL. XLVIII. Magnus Dominus & laudabilis, &c.

ARGVMENTVM.

Post prælia, & victoriam partam Deo,
Iam ciuitas grates agit, frequentia
Et gentium pio à poeta inducitur
Narrans, beata quàm sit illa natio,
Summo Deûm quæ se patri commiserit.

CARM. GEN. 3.

REctor beate cœlitum, cui nil viget
Simile aut secundum, cœlitum
Beate rector, sancta iure te Sion
In astra tollit laudibus:
Sion opacam versa ad Arcton, regia
Formosa regis optimi:
Sion voluptas gentium, vberis soli
Aruis beatis accubans.
Sensere Domini vindicis potentiam
Solymæ superba mœnia:
Sensere numen, quum feroces viribus
Coiêre reges copijs,
Castrisq; iunctis, seruitutem ciuibus
Tuis minati & vincula.
Perstrinxit oculos intuentium stupor,

Et hor-

Et horror artus perculit.
Quales tremores querulus excitat dolor
Vexante partu fœminas:
Pauorq́ trepida sparsit attonitos fuga,
Euri procella vt æquora
Verrens, ab imis penitus excitum vadis,
Trepidas carinas dissipat.
Hæc facta priscis rettulêre sæculis
Paruis parentes liberis:
Hæc nos in vrbe vidimus Dei, ratis
Qui frænat orbem legibus.
Hæc vrbe in illa vidimus, cui peruigil
Deus ipse custos excubat.
O sancte rerum genitor, in rebus malis
Tuam aduocamus dexteram:
Tuas ad aras supplices aduoluimur,
O rector orbis optime.
Tua laus per oras vltimas mundi, & tua
Imago fulget gloriæ
Et æquitatis. Te scelestos verbere
Plectente iusto, gestient
Colles Sionis: nec feret tacitum suum
Iudæ propago gaudium.
Ite, & Sionem obambulate, mœnia
Spectate, turres arduas
Numerate, fossam & aggerem intuemini,
Molesq́ celsas ædium.
Narrate natis, posterorum vt audiant
Et ob-

Et obstupescant sæcula:
Solumq̃ noscant & colant nostrum Deum,
Ortusq̃ finisq̃ inscium:
Qui sempiternus sempiterna nos ope
A fraude viq̃ proteget.

PSAL. XLIX. Audite hæc omnes Gentes, &c.

ARGVMENTVM.

Hortatur ad temnendum honorem, argentum, opes
Nos, ad colendum æquum, esse quàm stultissimos
Mortalium ostendens, bonis qui his seruiunt.

CARM. GEN. 15.

AVdite gentes: ortus & occidens
Aduertite aures, & medio dies
Quos torret axe, & qui vitreum solum
Ponti niuali finditis orbita.
Audite, siue ignotus, & infima
De plebe pauper, siue opibus potens,
Multaq̃ fulges plebe clientium,
Auriq̃ gazis ditibus incubas.
Fontes recludam iam sapientiæ:
Plenoq̃ promam pectoris è penu
Prudentiam: iam lingua recondita
Oracla gestit carmine pandere.
Cur congerendis me cruciem bonis,
Famemq̃ & acrem pauperiem timens:
Vt vita curis anxia tristibus
Me tristiorem trudat ad exitum?

Gem-

Gemmis & auro & murice diuites
Superbientes aspice, qui sibi
Gaudent beato plaudere somnio,
Tutosq; fluxis credere se bonis.
Germanus auro non redimet suum
De morte fratrem: nec pretio Deum
Donisue flectet fata retexere,
Vt membra liquit frigida spiritus.
Sed nec perennes interitus moras
Diues pacisci, nec potis est putres
Ne soluat artus tempus edax. vetat
Id lege dura fixa necessitas.
Mors æqua stultis & sapientibus
Intentat arcum: par manet exitus
Vitæ hos & illos. occupat improbis
Ignotus hæres parta laboribus.
Villæ superbæ delicias breues,
Luxuq; structas regifico domos
Linquunt: sepulchriq; irremeabilis
Tenebricosis sub latebris iacent.
Quid fama duris parta laboribus
Prodest? inanis quid tituli decus?
Quid aura blandæ laudis, & ambitus
Nomen futuris prodere sæculis?
Quum vani honoris ver breue floruit,
Lethale spirans mortis hyems, viros
Et bruta raptans interitu pari,
Obliuionis nube pari premit.

Hæc

Hac stulti ierunt, hanc malè prouidos
Ducet nepotes error in orbitam:
Quos mors sepulchri sub scrobe conditos
Depascet, imbelles vt oues lupus.
AEterna cœli temperies pios
Manes fouebit lucis in aurea
Splendore: qualis manè fluit nitor
Per prata vernis picta coloribus.
Stultis senectus robora deteret:
Pro sumptuosis bustum erit ædibus.
At me benignus de barathri cauo
Specu remissum suscipiet Deus.
Nec te cupido sauciet æmula,
Stuporúe, si quem videris impia
De plebe fluxis conspicuum bonis,
Clarumq; multa fulgere gloria.
Quum dexteram mors illacrymabilis
Iniecit, ex tam diuite copia
Secum sub vmbras nil feret: & comes
Infida bustum gloria deseret.
Dum commeantis pectora spiritus
Haustu calescunt, perfruitur bonis,
Seseq; curat molliter, & monet
Omnes eundem pergere tramitem:
At quum parentes cesserit ad suos,
Longùm dolebit stultitiam breuem.
Ad regna tractus lucis egentia,
Quæ semper horror nubilus obsidet.

Rectrix

Rectrix honoris ni sapientia
Accesserit, brutis homo bestijs
Nil interest. quos vita facit pares,
Expectat æquè inglorius exitus.

PSAL. L. *Deus deorum Dominus loquutus est, &c.*

ARGVMENTVM.

Legem vetustam præcinit summo à patre,
Ritusque neglectum iri & à Christo datum
Cultum Dei præstantiorem orbi fore.

CARM. GEN. 6.

QVI frænat æquis legibus arbiter
Superba regum colla minacium,
Vocabit in ius orbem ab ortu
Solis ad hesperium cubile.
Vultu verendo tum sacer ardua
Pulchræ Sionis de specula loquens,
Ad gentis humanæ coactum
Concilium Deus ora soluet.
Non facta semper non sinet impia
Impunè grassari. veniet Deus:
Flammæ vorax illum antecedet
Vis rapidis agitata ventis.
Testes vocabit cum populo suo
Acturus, ignes, lumine conscio
Qui cuncta despectant ab alto &
Omniparæ sola vasta terræ.
Adeste primùm gens mihi propria,

Gens

Gens sancta, (dicet) cui super hostijs
Legem dedi ritè offerendis.
Perpetuum pepigiq́, fœdus.
Hic æquitatem iudicis igneus
Miratus æther, iustitiam Dei
Annunciabit. nam sedebit
(Ne dubita) Deus ipse iudex.
Audi Abrahami progenies boni,
Peculiaris gens mihi: te voco,
Testem benignitatis in te
Perpetuæ, & solidi fauoris.
Non arguam te quòd mihi victimæ
Cruore raro altaria sparseris,
Aut parcus armenti cremaris
Rara sacris holocausta flammis?
Non taurum egens te de stabulis peto,
Hircumúe caulis. omne pecus meum est
Quod montium anfractus pererrat:
Quod nemorum tegitur latebris.
Nec me volucris rupis in edito
Vsquam recessu nidificans latet
Non vlla picturato amictu
Ruris auis genialis hospes.
Quòd si esurirem, scilicet vt petam
A te necesse est, arbiter ætheris
Terræ, fretiq́, & quicquid ingens
Orbis habet gremio triformi.
Tauríne vescor carnibus? aut bibo

Hirci cruorem? pectore candido "
Grates age, & quouis litabis "
Ritè Deo sine cæde voto. "
Tum deprehensus rebus in asperis
Securus implora, auxilium feram:
Grates vt accepta salute
Lætus agas, Dominumq; laudes.
At impium sic alloquitur Deus,
Qua fronte leges tu recitas meas?
Et ore sanctum impurus audes
Sacrilego memorare fœdus?
Tu legum habenis impatiens regi,
Et institutis, moribus & bonis
Iuratus hostis, voce laudas,
Tecum animo mea verba rides.
Cum fure furti consilium cois,
Mœchis adulter te sociam applicas:
Ad probra proiectus, dolosa
Perniciem meditare lingua
Cum fratre iuncti vincula sanguinis
Oris procacis non rabiem premunt:
Infamia germanum eodem
Dedecoras vtero creatum.
Et arbitraris me similem tui,
" Quòd perpetrata hæc dissimulauerim?
" Ne crede: tecum expostulabo,
" Ante oculos tua facta ponam.
Considerate hæc vos, quibus excidit

De

De mente cæca mentio numinis:
Ne, quum prehendam. nemo sit qui
De manibus mihi prensa tollat.
Si victimam vis magnificam mihi
Mactare, laudes canta, age gratias.
Hàc itur ad certam salutem,
Hæc superos via pandit axes.

PSAL. LI. Miserere mei Deus, secundum magni. &c.

ARGVMENTVM.

Nathanus vt vates ducem ipsum Dauidem
Vxore de Vriæ arguit rapta, hic gemens
Precatus est his vocibus patrem Deum.

CARM. GEN. 5.

O Salus rerum, lacrymis precantum
Mollibus flecti facilis, rogantem
Lenis exaudi, scelerumq; tetras
Ablue sordes.
Vsque peccati laue & vsque labem,
Dum repurgatum maculis pudendis
Purius corpus niteat recocto
Ignibus auro.
Nam meam agnosco (pudet heu pigetq;)
Ah miser labem: vitijq; fœda
Mentes obuersans oculis imago
Semper oberrat.
Vnus arcani es mihi testis: vnus

Arbiter verax, temerario ausu
Improbas linguas tua iudicantum
Facta refutas.
Quippe iam primo scelus vsque ab ortu
Hæret, infectas vitians medullas:
Deq; conceptu genitricis hausi
Semina labis.
At tibi cordi est sine fraude veri
Simplicis candor, fideiq; certè
Puritas, nullo labefacta duri
Turbinis ictu.
Hanc facis tanti, vitijs vt atris
Oblito, legum sapientiæq;
Tu mihi arcanæ facilis beatum in-
dulseris haustum.
Ergo me hyssopi, sator alme, lustra
Frondis aspersu: maculæq; cedent,
Membra candorem tibi lota vincent
Pura niualem.
Si bonus lætum placidusq; mittas
Nuncium, tristem mihi recreabis
Gaudio mentem: stupidos recurret
Robur in artus.
Ne meos lapsus oculis acutis
Semper obserua, numeráue labes:
Sed malæ culpæ nimium tenaces
Ablue sordes.
Cor mihi rectum, sceleriscq; purum,
O potens

O potens rerum genitor, refinge:
Spiritum firmum renoua nouata
Cordis in aulæ.
Neu mihi auertas faciem, tuoq;
Arceas vultu procul, auferasq;
Spiritum sanctum, calida incitatus
Rursus ab ira.
Redde speratæ solido vt salutis
Gaudio per te fruar, inquieti
Spiritu motus animi rebelles
Principe firma.
Tum meo exemplo moniti scelesti,
Quos via flexit malesuadus error,
Denuò legum duce me tuarum
Iussa capessent.
Expia noxa mihi sospitator
Cædis infandæ caput obligatum, vt
Te canam iustum, pariterq; lapsis
Parcere largum.
Tu viam vocis mihi pande: mutum
Tu Deus linguæ moderare plectrum,
Tum feram latè tua magna gentes
Facta per omnes.
Victimæ si te caperent, dedissem
Victimam: sed te neq; sanguis hircî
Fusus, aut sacris holocausta placant
Addita flammis.
Pœnitens fraudum scelerumq; pectus,

Spiritus fracti, mala cor perosum,
Hæc Deum placant: adhibe hæc, & absque
Thure litabis.
Gentis humanæ bone dux Sionem
Quo soles vultu facilis tuere:
Pace florentes Solymæ beatæ
Protege turres.
Tum tibi votis bona mens pudicis
Sacra persoluet: sacer hircus ignes
Pascet, & sanguis vituli calentem
Imbuet aram.

PSAL. LII. *Quid gloriaris in malitia, qui, &c.*

ARGVMENTVM.

Hæc in Doëgum dixit immanissimum,
Nefariumque, comparans studia impij
Mortalis, ac viri boni contraria.

CARM. GEN. 10.

QVid gloriaris impie
Tyranne prauis artibus?
Innoxijs clementia
Diuina semper excubat.
Tua lingua semper fraudibus
Intenta comminiscitur
Nefas, nitente cotibus
Acutior nouacula.
Te praua rectis plus iuuant,

Plus

Plus falsa veris recreant:
Dolisq́ pestilentibus
Libenter aurem commodas.
Ergo Deus te conteret:
Hominumq́ contubernio
Eliminabit, ac domum
Euertet omnem funditus.
Iustus videbit, & grauem
Dei pauebit dexteram:
Vanaq́ dignos exitus
Ridebit impotentia.
En ille gazis (inquiet)
Maliq́ fides artibus,
Securus ille numinis,
Diuinæ opis nil indigens.
Ego, ceu virens oliuula,
Domini in agello consita,
Florebo, spe fretus bona
Cœlestis indulgentiæ.
Te semper in cœtu pio
Fraudis scelestæ vindicem
Canam, & tuæ clementiæ
Spe dura cuncta perferam.

PSAL. LIII. Dixit insipiens in corde, &c.

ARGVMENTVM.

Hymno hoc Dei in temptorem, & innocentiam

Hic deprimentem inuehitur, ac ipsum bonis
Mox pollicentem opem suam inducit Deum.

CARM. GEN. 3.

Opinionum sœda mentem toxico,
Corpusq; scelerum sordibus
Contaminata turba, vela dum cupit
Suo furori obtendere,
Ferri at referri sortis arbitrio omnia
Humana comminiscitur.
Ergo ex soluta numinis formidine,
Dat fræna turpitudini:
Scelesta, sœda, abominanda excogitat,
Excogitata perpetrat.
Ex arce celsa syderum deflexerat
Dominus in orbem lumina,
Si quem videret fortè non penitus malis
Corruptum opinionibus,
Qui mentis oculis omnium fideliter
Rerum parentem quæreret:
Erroris omnes nubili fallacibus
Fraus illigarat cassibus.
Se cuncti eisdem polluere sordibus,
Nec recta cuiquam curæ erant.
Ergo ille mitis, ille munificus parens,
Ira incitatus aspera,
Gens (inquit) ista plena scelerum ac sordium,
Crudelis animo & impia,

Quæ

Quæ panis instar deuorat plebem meam,
Ecquando cognoscet Deum?
Ecquando mentis oculis in periculis
Agnoscet orbis arbitrum?
Certè timebit non timenda, & conscius
Vexabit horror pectora.
Nam Dominus ossa conteretq́, & hostium
Ausus retundet impios.
Vultum pudoris turpibus sparget notis:
Turbabit animum infamia.
En vnquam Eöo Lucifer salutifer
Ab axe promet hunc diem?
Ab arce Dominus quum Sionis arduæ
Speratam opem feret suis,
Patriæq́ vinclis liberos hostilibus
Reddet nepotes Isaci,
Electa laudes gens illius vt canat
Perfusa vero gaudio.

PSAL. LIIII. Deus in nomine tuo saluum me fac, &c.

ARGVMENTVM.

Venere Ziphæi ad ducem Saulem, atque ei
Dixere sæui Dauidem latere apud
Se ipsos, at is ita Deum precatus est pium.

CARM. GEN. 10.

RErum parens me protege,
Et sæuo ab hoste libera,
Nomen boni vt colant tuum,

Et vim pauescant impij.
Audi benignus supplicem,
Nec durus aurem questibus
Occlude: vitæ nam meæ
Crudelis hostis imminet.
Infestus hostis imminet
Vitæ meæ: nec vindicem
Dei potentis dexteram
Sibi imminentem respicit.
Rerum sed æquus arbiter
Opem feret: periculis
Me liberatum fulciet,
Et sospitem tuebitur.
Suis peribit artibus
Scelesta fraus, & incident
In ipsa cæci retia,
Quæ clàm mihi tetenderant.
Liber periclo, victimis
Te munerabor: te canam
Patrem, bonis placabilem,
Malisq; formidabilem:
Qui libero molestijs
Mihi dedisti gaudia
Haurire læto lumine
De clade gentis perfidæ.

PSAL.

PSAL. LV. *Exaudi Deus orationem meam, & ne, &c.*

ARGVMENTVM.

Tutum esse nusquam se queritur, & maximē
Se proditum gemit viro à domestico.

CARM. GEN. 5.

COelitum rector bone, mitis aurem
Admoue in rebus trepidis vocanti,
Neu meos vultu tetrico seuerus
Despice questus.
Aspice attentus mihi quo tumultu
AEstuet pectus: gemitu dolores
Quo fremat, dum vis mihi frausq́, sæui
Imminet hostis.
Imminet sæuus capiti tyrannus.
Et meæ famæ meditatur atrox
Crimen, & secum furit impotenti
Turbidus iræ.
Cor micat, neruis trepidant solutis
Ossium nexus, animus labascit,
Semper & pallens oculis oberrat
Mortis imago.
Ergo sic mecum loquor, O quis altos
Nubium in tractus celeri columbæ
Me leuet penna, nemorum & remotis
Sistat in antris:
Vt procul cura trepida metuq́,
Montium solos habitem recessus,

Ocyor

Ocyor ventis ferar, & coruſci
Fulminis alis?
O Deus linguas malè perde prauas,
Illitas linguas gelido veneno:
Quæ dolis, probris, rabidisq; vexant
Litibus vrbem.
Siue lux fundat radios micantes,
Siue nox fundat tenebras opacas,
Excubant muris maledicta, vicis
Omnibus errant.
Vis, furor, fraudes, ſcelerum libido
Obſidet cunctos aditus viarum:
Et fames auri miſeram trucidans
Fœnore plebem.
Si palàm ſæuos inimicus enſes
Stringeret, ſi clam laqueos pararet,
Dente ſi famam peteret maligno,
AEquior eſſem.
Tu mihi inſultas comes & ſodalis,
Teſtis arcani taciturni, & author
Conſili, ſacra totiesq; iunctus
Fœdere menſæ.
Gentis humanæ moderator, orbem
Qui ſalutari regis æquitate,
Fraudis authores ſcelerumq; viuos
Obrue terra.
At mihi attentam dabis æquus aurem,
Siue lux promat radios ab vndis,

Siue

Siue lux condat radios sub vndis
Vespere sero.
Inter hostiles dabis vt tumultus
Tutus euadam. mihi nam superbis
Viribus fretus numeroq́ꝫ sæuus
Imminet hostis.
O potens rerum, sine fine pœnis
Tu premes iustis scelus impiorum,
Arrogans pectus quibus obstinata
Intumet ira:
Pace qui ficta simulant amicæ
Mentis affectus, animoq́ꝫ virus
Occulunt, prisco neque facta curant
Fœdera ritu:
Lacteus blando fluit ore riuus:
Bella cor spirat fera, suauiorq́ꝫ
Balsamo sermo secat instar ensis.
Vulnere cæco.
Tu tui curam Domino relinque,
Is tuos gressus reget, is dolores
Leniet, iustumq́ꝫ ope subleuabit
Rebus in arctis.
Impio, fallaci, auidoq́ꝫ cædis
Fila mors rumpet viridi in iuuenta:
Me tui, rector bone, spes fauoris
Certa fouebit.

PSAL.

PSAL. LVI. Miserere mei Deus, quoniam, &c.

ARGVMENTVM.

In maximo periculo implorat Dei
Opem, querens iniuriam Saulis feri,
Ac eius Asseclarum, & hinc clementiæ
Sese Dei solatur hoc poëmate.

CARM. GEN. 3.

ORbis creator me bonus aspice,
Iniurioso quem pede prorutum Horat. Lib. 1. ode 34.
Hostisq́, conculcat, premitq́,
Assiduis agitans periclis.
Conculcat hostis me numero ferox,
Et insolenti sæuitia premit.
Nec liberas luces laborum,
Nec vacuas sinit ire noctes.
Seu luce terror sollicitus mihi,
Seu nocte circumstat, pater optime,
Spes rebus in duris mihi vna
Et columen superas salutis.
Te fretus vno, pollicitis tuis
Innixus vnis, nec metuam dolos
Mortalium cæcos, minasq́,
Terrificas & aperta bella.
Calumniantur quæ loquor omnia,
Prauaq́, carpunt facta libidine:
Huc conferunt omnem laborem, vt
Exitium mihi moliantur.

Cœtusq́,

Cœtusq; cogunt, & capiti meo
Qua fraude, qua vi iugiter imminent:
Vestigia obseruant, nec horam
Insidijs vacuam relinquunt.
Impunè tantam nequitiam ferent?
Prauiq; fructum consilij legent?
O arbiter mundi, nec illos
Præcipites agis in ruinam?
Meæ labores tu numeras fugæ:
Vrna repostas tu lacrymas meas
Seruas: apud te certa constat
Vsque mei ratio doloris.
Aurem vocanti tu facilem mihi
Das, atque inanes spes facis hostium:
Et signa non obscura amici
Das animi, & stabilis fauoris.
Te fretus vno, pollicitis tuis
Innixus vnis, nil metuam dolos
Mortalium cæcos, minasq;
Terrificas & aperta bella.
Te semper ergo carmine patrio
Laudabo, vitæ præsidium meæ:
Ex hostium ferro dolisq;
Incolumis tibi vota reddam,
Te liberatus vindice, te meum
Firmante gressum, ne titubent pedes,
Dum spiritus fouebit artus,
Iussa sequar tua, rector orbis.

PSAL.

PSAL. LVII. *Miserere mei Deus, miserere mei, &c.*

ARGVMENTVM.

Implorat in Saulem impium auxilium patris.

CARM. GEN. 2.

SAncte parens miserere animæ pereuntis, et omnẽ
In te salutis quæ locauit spem suæ:
Meq́ tuis alis tectum defende, procellæ
Dum sæuientis impetus deferueat.
Te voco, te solum in rebus quod restat egenis
Appello, supplex & tuam imploro fidem.
Te voco, qui cumulata mihi promissa refundes,
Et cœpta duces prosperos ad exitus:
Qui mihi subsidium è cœlo præbebis, & hostis
Iam iam imminentis liberabis faucibus.
Qui dabis auxilium ex adyto sublimis Olympi,
Memorq́ fidei & pristinæ clementiæ.
Inter enim sæuos habito feritate leones:
Flammam vomentes versor inter belluas,
Lingua quibus sæuo proscindit acutius ense,
Dentes sagittis, lanceæq́ cuspide.
O Deus augustum celso caput exere cælo:
Ostende terris gloriæ iubar tuæ.
Explicuêre meis pedibus sua retia: terra
Me sæuus hostis penitus afflictum premit.
Et scrobibus fossis iter obsedere: sed ipsi
Mihi paratas in scrobes cæci ruent.

Mens

Mens infracta malis, animi vigor integer, orbis
Te voce rector, te celebrabit lyra.
Eia age depositis mens expergiscere curis,
Et tu canora barbytos cum nablijs.
Ocyus aurore quàm Lucifer excitet ignes,
Aurora cantus quàm volucrum exuscitet,
Te pater alme canâm: populos tua facta per omnes
Quacunq; tellus panditur, vates feram.
Nam tua syderei bonitas fastigia cœli,
Fidesq; tractus nubium superuolat.
O Deus augustum nitido caput exere cœlo:
Ostende terris gloriæ iubar tuæ.

PSAL. LVIII. Si verè vtiq; iustitiam loquimini, &c.

ARGVMENTVM.

In Saulem iniquum, eiusque Consiliarios
Effundit hæc, sui Deo piaculi
Quos præcinit pœnas daturos pergraues.

CARM. GEN. 6.

QVI iura celso de solio datis,
Qui fræna legum flectitis, en erit
De plebis vt causis egenæ
Iudicio statuatis æquo?
Quin mente praua nequitiam & dolos
Versant: sub vmbra iustitiæ tegunt
Iniuriam: factis honesti
Obijciunt speciem pudendis.

Materna ab aluo flagitij viam
Sensim sequuntur, perq; suos gradus
Obliqua sectandi libido
Cum teneris adolescit annis.
Lingua venenum pestifera gerunt:
Auresq; claudunt consilijs, velut
Obturat aures callida aspis,
Quæ magicos metuit susurros.
Confringe malas, ô Deus impudens
Os comminutis contere dentibus:
Et rictibus sæuis hiantes
Hos inhibe catulos leonum.
Emissa fracta cuspide spicula
Intercidant, nec vulnera perferant:
Ipsiq; vanescant repentè,
Per bibulas velut vnda arenas.
Sensim liquescant, tardigradus velut
Limax: acerbo funere deserant
Vitale lumen, more fœtus
Ante suum pereuntis ortum.
Florentis æui in limine, turbinis
Vis atra tollat progeniem, prius
Quàm surculus spinas tenellus
Exerat, & stimulis acutis
Fœcunda latè brachia porrigat.
Iustiq; pœnæ vindicis exitum
Læti videbunt, impijq;
Sub pedibus fluuium cruoris.

Vita

Vitæ benè actæ gens hominum sciet
Manere iustos præmia: at impios
Manere pœnas, arbitrumq́;
Esse Deum sciet orbis æquum.

PSAL. LIX. *Eripe me de inimicis meis Deus meus, &c.*

ARGVMENTVM.

Rex impius custodiens vatis domum, hunc
Volebat interficere: quare cœlitum
Parentis auxilium sibi obsecrat dari.

CARM. GEN. 10.

AB hostis inclementia
Me rector orbis assere:
Defende vim crudeliter
Me semper oppugnantium.
Ab improbis me protege
Lætis cruore innoxio,
Meæ saluti per dolum
Qui cæca tendunt retia.
Vltro immerentis in caput
Consilia cuncta conferunt:
Exurge, teq́; pessimis
Fer obuiam conatibus.
O arbiter mortalium
Et agminum cœlestium,
Fauore semper qui pios
Peculiari amplecteris,
Exurge, pœnis impias

Compesce gentes: perfidis
Neu parce, qui sibi fauent,
Nefanda quum patrauerint.
A sole Eöo ad Hesperum
Perambulabunt compita,
Et instar oblatrantium
Canum feroces obstrepent.
Nihil nisi merum crepant
Ferrum, cruorem, vulnera:
Et quæ loquuntur propalàm,
Clàm posse rentur obrui.
Meæ salutis tu Deus
Tutela præsens, irritas
Ridebis iras, & tua
Me dextera tueberis.
Discrimina imminentiæ
Ope anteuertes: & malis
Fracta hostium superbia
Læto fruar spectaculo.
Ne prorsus impios tamen
Vna ruina elimina,
Obliuioso ne pij
Torpore recta negligant:
Sed error illos dissipet
Vagos per orbis vltimas
Oras: tuaq; dextera
Semen piorum protege.
Ob oris arrogantiam,

Virusq;

Virusq́, linguæ noxium,
Mendacia & periuria,
Consume semen impium.
Euelle stirpe ab vltima
Iusti furoris impetu,
Vt norit orbis vltimus
Deum bonorum vindicem.
A sole Eöo ad Hesperum
Perambulabunt compita.
Et instar oblatrantium
Canum procaces obstrepent.
Passim vagati pauperem
Victum vt parent, sub vesperum
Serum petant cubilia,
Victus egentes pauperis.
Ego interim Deum canam
Fortem bonumq́, in asperis
Rebus suorum vindicem,
Fidumq́, propugnaculum.
Deum canam, qui robore
Me fulcit, auget viribus,
Benignitate subleuat,
Tuetur vt arx ænea.

PSAL. LX. Deus repulisti nos, & destruxisti nos, &c.

ARGVMENTVM.

Bellum gerens quàm difficillimum rogat
Opem suæ genti parentem cœlitum,
Qui deinde confirmatus almi oraculo
Patris, sibi datum iri ait victoriam.

CARM. GEN. 2.

SAncte parens nostris vitijs offensus, abactos
Pressosq; duris dissipasti nos malis:
Placatus mitisq; veni, iamq; immemor iræ,
Salutis author ad tuos reuertere.
Omnis ager rimis te concutiente dehiscit:
Committe rimas, reficè quassatum solum.
Dura tuæ genti spectacula ferre dedisti
Inebriatæ poculo formidinis:
At trepidos tandemq; animi miseratus egenos,
Signum salutis efferes: qui te colunt,
Veridicis freti oraclis, formidine mersum
Erigere rursus audeant vt verticem:
Eripiasq; tuos gelidi formidine lethi
Præsens, & opifer inuocantes audias.
Audijt ex adytoq; Deus flammantis Olympi
Vocem rependit gaudij prænunciam,
En tibi frugiferos Sichimæ dispertiar agros:
Vallem Sucothi metiar decempeda.
Nónne mihi parent Iacobi pignora, quisquis

Vel

Vel pecore tondet arua, vel vomere secat?
Oppida sub pedibus Syriæ calcabo superbæ,
Moabum, Idumen, & Palæstinas domos.
Quis mihi pandet iter munitas ductor ad arces?
Muros Idumes diuitis quis diruet?
Quis? nisi tu nostræ gentis Deus vnice tutor,
Qui nos premendos hostibus reliqueras,
Offensus vitijs prauis, nec in arma ruentes
Nostros præibas dux, vt antè, exercitus.
Nunc pater auxilium rebus bonus adfer in arctis,
Humana fallax credulos spes decipit.
Te duce, victrici decorati tempora lauro
Pedibus prememus hostis arrogantiam.

PSAL. LXI. Exaudi Deus deprecationem meam, &c.

ARGVMENTVM.

Opem Dei in periculis implorat, hinc
Se dicit imperio potiturum, & canit
Perenne regnum filij summi patris.

CARM. GEN. 15.

AVdi vocantem me bonus, & meis
Intentus aurem da precibus Deus
Proiectus oris orbis in vltimis,
Ad te recurram rebus in asperis.
Me siste rupis culmine in arduo
Procul periclis. semper enim tui
Spe fretus, hostis tutus ab impetu

Munitæ vt arcis præsidio fui.
Tentorio sac semper vt in tuo
Degam, sub alis protegar & tuis:
Qui lenis aurem das precibus meis,
Qui vota lætum ducis ad exitum,
Frænare sceptris te metuentium
Hæreditatem das mihi: regiæ
Tu longa vitæ tempora porrigens,
Nectes peractis sæcula sæculis:
Securus vt te perpetuò colat
Rex, liberalem porrige dexteram
Fortuna in omni: quaq́, soles fide
Fac vt fruatur pollicitis tuis.
Ac tum periclis liber ab asperis,
Te voce, dulci te cithara canam
Pacti tenacem, & munificum tuis,
Et vota ad aras perpetuò feram.

PSAL. LXII. Nónne Deo subiecta erit anima mea? &c.

ARGVMENTVM.

Soli Deo fidendum, & esse nihil viris
Mortalibus fallacius.

CARM. GEN. 3.

MEns acquiescit vnicè mea in Deo:
Hinc spes salutis, arduis
In rebus arx hæc: tutus hoc munimine
Nullum tremiscam ad impetum.

Quousq́

Quousque tectis fraudibus subuertere
Innoxium tentabitis?
Pœnas daturi mox & ipsi, improuidi
Iamiam imminentis exitus.
Proni in ruinam incumbitis, ceu mœnia
Saxis solutis putria.
Et interim omnes corporisq; & ingeni
Vires eò contenditis.
Vobis placetis fabulis vanis, gradu
Turbetis impij vt pium,
Cùm deuouetis corde tacito: propalàm
Laudatis ore subdolo.
At tu acquiesce mens mea in Deo tamen:
Hinc spes salutis, arduis
In rebus arx hæc: tutus hoc munimine
Nullum tremiscam ad impetum,
Spes inde vitæ & gloriæ pendet meæ,
Et roboris fiducia.
Quocunque cœli gens colis sub sydere,
Huic crede rem, sobolem, domum.
Omnes ad illum mentis ægritudines,
Et læta defer & refer:
Semperq; præsens numen eius omnibus
Adesse cœptis senties.
Ventosa regum & principum potentiæ
Est vanitate vanior,
Adeoq; fumo leuior: vt si principum
Hac lance vires omnium,

Inanitatem hac colloces, cunctis simul
Inanitas præponderet.
Ne firma spera parta per vim: ne nimis
Confide stultis viribus.
Opes abundant affluenter? ne bonis
Da rebus animum credulum.
Semel est professus: nec semel tantùm Deum
Id profitentem audiuimus,
Se posse solum cuncta, se solum bonum,
Et arbitrum rerum vnicum:
Bonis benignum semper, & placabilem,
Malisq; formidabilem.

PSAL. LXIII. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo, &c.*

ARGVMENTVM.

Quanam teneretur videndi cœlitum
Summi patris templum cupidine hac canit
Ode, eque contemplatione numinis
Quantum voluptatis capiat, & sese ait
Victis potiturum throno suo hostibus.

CARM. GEN. 18.

DEus, salutis author & custos meæ,
Te veneror roseus quum fugat astra dies.
Te mens anhelat, membra sitiunt languida,
Terra velut pluuias arida quærit aquas.
Quamuis arenas aridas æstus colam,
Præsentem Dominum mens videt vsq; meum,
Non aliter, adyta arcana quàm si conspicer,
Numi-

Numinis adſeruant quæ monumenta tui.
Nec dulcis æquè vita eſt quàm benignitas
Qua vitam munis proſequeriſq; meam.
Ergo remotis diſſitus quamuis locis,
Præſidio tutus te celebrabo tuo:
Tui ſonabunt nominis præconia
Quæ dederis vitæ tempora cunq; meæ.
Nec victus æquè recreat corpus, tua
Excitat vt mentem laus celebrata meam,
Tu nocte carmen, manè tu carmen mihi es:
Tu trepido præſens fers mihi ſemper opem.
Securus alis conquieſco ſub tuis:
Teq; procul curis & tua facta canam.
Te quærit animus, te colit, te deperit:
Tu valida ſulcis me pater alme manu.
At qui laborant per nefas me perdere,
Conſilijs prauis digna ruina premet.
Ferro profundent ſpiritum nefarium:
Membra dabunt auidis dilanianda lupis.
Rex lætus autem vindicem agnoſcet Deum,
Et quicunq; Dei numina ritè colunt.
Metu ſtupentes conticeſcent impij,
Spe ſtolida fluxis qui tumuêre bonis.

PSAL. LXIIII. Exaudi Deus orationem meam, &c.

ARGVMENTVM.

Suos in aduerſarios, quos præcinit

Pœnas

Pœnas soluturos graues.

CARM. GEN. 8.

AVdi sancte parens non tetricus preces
Te poscentis opem rebus in asperis:
Et fallacis ab hostis
Vitam fraudibus eripe.
Prauorum tacitis factio me dolis
Oppugnat, trucibus consilijs fremunt
Conspirantq; scelesti:
Tu me dux bonus eripe.
Linguas ceu gladios exacuunt suos:
Oris pestiferi verba nefaria
Intentant, medicata
Tanquam spicula toxico,
Vt rectos animi ex insidijs petant.
Et securi auida mente coquunt nefas:
Nec quenquam malefacti
Formidant fore vindicem.
Designant animis horrificum scelus,
Et sæuo laqueos consilio parant:
Inter seq; loquuntur,
Nemo conscius hæc sciet.
Cor, mens, ingenium, consilium, labor,
Huc tendunt, facies vt scelerum nouas
Et fraudum meditentur:
Hoc vnum studium fuit.
Ast illos subiti cuspide spiculi
Incautos feriet magna Dei manus:

Et le-

Et lethalia certa
Figet vulnera dextera.
Spectantes gelidus corripiet timor,
Authori exitium quum videant sua
Dirum immittere linguæ
Virosæ malæ toxica.
Gens humana tuæ robora dexteræ
Agnoscet, meritis laudibus efferet:
Et mirabitur altæ
Lumen perspicientiæ.
Iusti spes animos eriget, & Dei
Tutus præsidio, lætitia fremet.
Et gaudentia corda
Vero simplice gestient.

PSAL. LXV. Te decet hymnus Deus in Sion, &c.

ARGVMENTVM.

Gentem loquentem inducit Hebræam, quæ apud Sæuum exulabat barbarum, atque præcinit Gaudens ab exilio suum reditum, & Dei ad Cultum omnium conuersionem gentium.

CARM. GEN. 5.

TE manent laudes Deus in Sione:
Hîc tibi castis operata sacris
Vota gens soluet tua, victimisq;
Imbuet aras.
Quiq; tam præsens tibi supplicantum
Exitus votis tribuas secundos,

Te pe-

Te petent gentes sub vtroque mundi
Axe iacentes.
Nostra nunc iustis scelerata facta
Nos premunt pœnis: facilis querelis
Tu tamen flecti, mala seruitutis
Vincula franges.
O quater plus quàm quater ô beatos
Quos leges, lectos facies amicos:
Vt colant puri tibi dedicati
Atria templi.
Illa lux felix, cumulata cunctis
Lux bonis, pectus satiabit ægrum
Gaudio, quæ nos reduces sacrata
Sistet in æde.
Annues nostris facilis querelis,
Finium terræ Deus vltimorum
Spes & extremas maris ambientis
Gurgite terras.
Tum stupor mentes quatiet tuentum,
O Deus nostræ columen salutis,
Te malis durum, miseris benignum,
Omnibus æquum.
Tu potens rerum, validisq; pollens
Viribus, firmas stabili catenæ
Montium tractus, iugaq; inquietis
Tunsa procellis.
Tu mares nigris agitata ventis
Terga componis: cohibes rebelles
Gentium

Gentium motus, placidaq; mutas
Pace tumultus.
Vltimi rerum tua signa norunt,
Et colunt fines, quoties coruscis
Turgidum flammis fremuit sonoro
Murmure cœlum.
Quiq; Phœbæos habitant ad ortus,
Et quibus sera face Phœbus vndas
Tingit, authorem te hilares fatentur
Lucis & vmbræ:
Tu solum terræ sitientis imbrem
Lætus inuisis, grauidæq; nubis
De sinu fundis genitale pigros
Semen in agros.
Alueus pleno tibi semper amne
Turgidus læta nouat arua fruge,
Floribus campos, nemorum virentes
Fronde recessus.
Rore tu leni sola contumacis
Maceras terræ, subigisq; glebas:
Ebrios sulcos viridante amictu
Messis in vmbras.
Quà feres gressus, renouabis annum
Fertilem frugum: vegetansq; fœtus
Per cauas valles riguosq; saltus
Impluet humor.
Gestiet pauper tuguri colonus,
Lacte distentas comitans capellas:
Mugien-

Mugient colles, & amica ſeßis
Sylua iuuencis.
Spes aratoris cupidas fouebit
Fluctuans latis ſeges alma campis:
Vt canat feſta tibi feriatus
Carmen in vmbra.

PSAL. LXVI. Iubilate Deo omnis terra, &c.

ARGVMENTVM.

Gentem loquentem inducit Hebræam pius
Rex gratulantem maximè tandem à iugo
Se liberatam ſeruitutis barbaræ.

CARM. GEN. 19.

INcolæ terrarum ab ortu
Solis, vltimum ad cubile
Eia Domino pſallite,
Eia Domino iubilate:
Nomen eius numen eius
Ferte in aſtra laudibus.
Dicite illi, Rector orbis
Sancte, quàm ſtupenda rerum
Eſt tuarum gloria!
Quanta virtus! qua proteruos
Mente fracta cogis hoſtes
Supplices procumbere.
Te parentem læta honoret,
Te potentem prona adoret
Tota rerum machina.

Voce

Voce blanda te canamus,
Barbito dulci ſonemus,
Carminumq; cantibus.
Eia adeſte, facta cunctis
Cernite admiranda ſæclis:
Acriterq; expendite
Facta prouidi parentis,
Facta Domini conſulentis
Arte mira ſeruulis.
Vertit æquor æſtuoſum
Aridæ in campos arenæ.
Fluminis per alueum
Agmen ire gratulantum,
Ceu per arua ſicca, fecit,
Stante fluctu languido.
Frænat vnus orbem habenis
Sempiternis: intuetur
Et pios & impios.
Nec ſinit ſibi rebelles
Viribus fretos ſuperbis,
Improbis votis frui.
Laus Deo noſtro per omnes
Orbis oras: omnis vnum
Laudet illum natio.
Morte liberauit vnus
Nos propinqua: fulcit vnus
Liberos firmo gradu.
Igne vt aurum, examinaſti

Nos periculis: illigasti
Hostium nos caßibus.
Vincla lumbis, fræna malis
Sub tyrannis induisti
Impotentis imperi:
Sed per ignes, sed per vndas,
Diuitis tamen dedisti
Vber agri exercitis.
Ergo supplex introibo
Templa, victimasq; cædam:
Vota supplex offeram,
Vota duris in periclis
Nuncupata. pinguis agnus,
Cornigerq; agni parens,
Bos & hircus sanguine aras
Imbuent: nec thura deerunt
De Sabæo stipite.
Dum Dei benignitatem
Explico in me, cuncti adeste,
Qui Deum veremini.
Audijt statim vocantem:
Nos vocantes audientem
Prosequamur laudibus.
Conscios sceleris nefandi
Supplicantes rector orbis
Aure surda respuit:
At mihi lenis bonusq;
Supplicanti semper aurem

Non

Non seueram commodat.
Gratias ago parenti
Optimo, qui se roganti
Asperum non præbuit:
Qui sua benignitate
Destitutum non reliquit
Rebus vnquam in asperis.

PSAL. LXVII. *Deus misereatur nostri, &c.*

ARGVMENTVM.

Orans vt Hebræo, atque nationibus
Se detegat numen pium, acturum canit
Id, quod precatus est, patrem cœlestium.

CARM. GEN. 5.

ARbiter mundi, placidus bonusq́;
Parce delictis, solito & fauore
Terra fac lætis segetem pecusq́;
Nutriat aruis.
Nota per terras bonitas vt omnes
Sit tua, & nostræ studium salutis,
Mente quos curas patria, tegisq́;
Rebus in arctis.
Vt tuas laudes populi per omnes
Prædicent terras, bonitatis vsque ad
Terminos rerum celebretur omnes
Fama per vrbes.

Omnis exultet locus, omnis ætas
Gestiat plausu & fremitu secundo,
Res quòd humanas modereris æqui
Iuris habenis.

Vt tuas laudes populi per omnes
Prædicent terras, bonitatis vsque ad
Terminos rerum celebretur omnes
Fama per vrbes.

Si tuæ genti faueas benignus,
Conditor mundi bone, meßis agros
Vestiet, vites oleaq́; colles,
Gramina campos:

Si tuæ genti faueas benignus,
Conditor mundi bone, te pauebunt
Et colent gentis sub vtroque mundi
Axe iacentes.

PSAL. LXVIII. Exurgat Deus, & dißipentur inim. &c.

ARGVMENTVM.

Idumeos, Sirasque & Ammonensia
Cùm castra fudissent Hebræi, quos pius
Poëta nunc inducit, almi numinis
Potentiam, & benignitatem, & vim polo
Lætißimi laudum efferunt præconijs.

CARM. GEN. 20.

O *Qui perpetuis orbem moderaris habenis,*
Placidos bonus exere vultus:
Impie-

Impietasq; exosa tuas, pater optime, leges,
Tremefacta repentè facesset,
Vt leuis in tenues fumi vapor effugit auras,
Vt cera liquescit ab igni.
At lætis pia turba animis sua gaudia plausu
Testabitur, & tibi, rerum
Sancte parens, Pæana canet, qui lucida cœli
Veheris super astra nec æui
Inclusus spatijs, æternis legibus orbem
AEternus & ipse gubernas.
Te canimus læti, & lætos renouamus honores,
Qui celsi è vertice mundi
Respicis humanas curas: & patribus orbos
Pueros, viduæq; maritis
Prosequeris patrio affectu: qui prole beata
Sterilis solare hymenæos.
Compedibus vinctos soluis: populi arua rebellis
Bibulis obducis arenis.
Isacidæ Nilo quum te ductore relicto,
Arabum per inhospita saxa
Errarent, tremuêre soli penetralia: cœlum
Maduit sudoris anheli
Imbribus: à vultu Domini conterrita duræ
Tremuêre cacumina Sinæ.
Arua sibi selecta bonus rigat imbre benigno:
Et quum labefacta fatiscunt,
Confirmat, recreatq; afflicta: suoq; fruenda
Dat habere gregi: nec egenam

Temporibus duris virtutem deserit. Arma
Trepida formidine belli
Quum quatient animos, lætum celebrare triumphũ
Teneris dabit ille puellis:
Sufficietq; suas in laudes carmina. reges
Numeroso milite freti
Terga dabunt, latebrasq; petent: spoliisq; fruetur
Imbellis turba relictis.
Vestra licet somno sternantur corpora nigræ
Inter fuligines ollas.
Illa tamen vincent nitidam candore columbam
Rutilæ ceruicis honore,
Quæ nunc argentum nitidum, nunc lumina blandũ
Radiantis prouocat auri.
Quum Deus omnipotens traduceret agmina regum
Longo spectanda triumpho.
Squalidaq; luctu & tenebris Solyma antè iacebat
Niuea tum luce refulsit:
Ceu niue vicinos inter candentia colles,
Salmonis culmina fulgent.
Vsque sibi Basan placeat, iactetq; superbus
Fastigia proxima cœlo:
Ne tamen herbiferos saltus, ne pascua sacro
Ausit conferre Sioni:
Quam propriam pater omnipotens in sæcula sedem
Legit, lectamq; tuetur.
Ille pater quem cœlituum tot millia currũm,
Equitum tot millia stipant:

Siue

Siue ille excelsæ vehitur per culmina Sinæ,
Sua seu sacraria visit:
Seu scelerum vindex celebri petit astra triumpho,
Capituaq; colla catenis
Vincta trahit: victæ passim donaria gentes
Cumulant: paulò antè rebelles,
Poplite nunc flexo venerantur templa Sionis.
Igitur celebramus honores
Iure tuos, nullam nobis qui munere lucem
Vacuam sinis ire: salutis
Vnica spes nostræ: nempe vnus fræna gubernas
Vitæ irremeabilis Orci
Vnus claustra tenes, & nutum fata sequuntur.
Inimicos vulnere certo
Tu figis: longa scelerum tu sorde sepultis
Lethali tempora plaga
Diuidis. At charos sic consolaris amicos
Extremo à littore ponti,
Vos ego crudeli incolumes ex hoste reducam,
Rubri ceu trans freta ductos
AEquoris, à sæuo incolumes seruauimus Ogo.
Cæsorum in sanguine regum
Tingent crura: canes hostilia vulnera lambent.
Lætæ spectacula pompæ
Aspicient, pater alme, tuo, pater alme, triumpho
Plaudent tua templa petentes.
Anteibunt qui voce canant, qui cymbala pulsent,
Citharæ tuba iuncta, tubaq;

Tibia, quæq̃ tuas celebrent, fortißime, laudes,
Doctæ pulsare puellæ
Tympana: te populi cœtu fremituq̃ secundo,
Et plausu ad sydera tollent:
Isacidæq̃ tuas in laudes ora resoluent:
Iuuenis de stirpe propago
Beniamini, Iudæq̃ aderit generosa propago.
Neque clarus Zabulo deerit,
Nephthalidæq̃ duces. Nam tu tua iussa sequutis
Viresq̃ animosq̃ ministras.
Claraq̃ victrici das tempora cingere lauro.
Solymæ victoria præpes
Ex adytis volat. Ergo ferent tibi munera reges,
Atque ad tua templa ferentes
Munera, te super astra ferent, tu freta sagittis
Lethalibus agmina fundis:
Tu fortesq̃ domas dextras, animosq̃ rebelles
Humiles tibi pendere cogis
Vectigal fractosq̃ duces: auidiq̃ cruoris
Vindex populi agmina perdis.
Quiq̃ bibunt Nilum qua mergitur æquoris vndis?
Quiq̃ ipso fontis in ortu,
Accurrent, pacemq̃ petent opulenta ferentes
Tibi munera supplice dextra.
Regna hominũ celebrate Deum: date carmina regi,
Qui templa gubernat Olympi
AEterna æternus: cuius mortalia cuncta
Vocem tremefacta pauescunt.

Hunc

Hunc fortem celebrate, vniq; accepta referte
Benè gesti prosperа belli.
Cuius in Isacidis resplendet gloria, cuius
Testantur robora nubes:
Cuius ab arcano templo venerabilis horror
Stupefacta in pectora manat.
Isacidum Deus ille, Deus qui robore neruos
Animosq; vigore suorum
Implet: ei laudes Iacobi dicite proles.
Etenim Deus ille Deorum est.

PSAL. LXIX. *Saluum me fac Deus, &c.*

ARGVMENTVM.

Sancti loquentes hoc viri poëmate
A Dauide inducuntur, immanissimis
Qui à Barbaris in seruitutem liberi
Abducti erant: in quo tamen nonnulla sunt
Quæ ad filium solum patris summi attinent.

CARM. GEN. 2.

SAncte parens fer opem lasso: torrentibus vna
Penè obruerunt me malorum flumina.
Pes nequit in molli vestigia figere limo:
Pronumq; inundans verticifluctus rapit.
Dum clamo, arentes vrit sitis arida fauces:
Spectando lassa torpuêre lumina.
Me vexant odijsq; premunt immanibus hostes,
Plures inumbrant quàm capilli tempora.
Inq; dies crescunt numero: & ceu rapta rependam,
Benè parta per vim cogor illis reddere.

Simplicitas tibi nota mea est, bone conditor orbis,
Meaq; testis semper innocentiæ es.
Fac pater alme bonis ne sint mea damna pudori,
Dum te colentes clade cernunt opprimi.
Te propter maledicta tuli & ludibria vulgi:
Te propter ora turpis insecit pudor:
Me vitant fratres, & eadem è matre creati
Me ceu scelestum abominantur filij.
Vror, & ira coquit penitus præcordia, leges
Tuosq; ritus impij quum negligunt,
In tua quæ iactant probra & conuitia, sacra,
In me recurrunt, corq; vulnerant meum.
Si fleo ieiunus, si macero pectora curis,
Rident, probrisq; prosequuntur lacrymas,
Si tegor incultos saccis squalentibus artus,
Fio repentè fabula & ludibrium:
Me salibus petit è portæ statione senectus:
Et ebriosæ sum tabernæ cantio.
Interea curis, genitor, confectus acerbis
Ad te recurro: tu benignus respice.
O genitor, sine fine bonus, sine fraude fidelis,
In rebus arctis da salutarem manum.
Erige penè luto absorptum: da figere gressum:
Crudelis hostis eripe me impotentiæ.
Neu rapiat torrentis aquæ violentia, neu me
Mergatue gurges, aut vorago absorbeat.
Sancte parens, nullos cuius clementia fines
Nouit, vocantem & destitutum respice.

Ne fa-

Ne faciem ſeruo auertas, qui rebus egenis
Supplex opem orat: ſubitò miſerum ſubleua.
Mitis ades: ſerua hanc animã, vt pudor obruat hoſtes,
Qui ceu relictum me enecant conuitijs.
Tu teſtis probri mihi ignominiæq; ſuperbæ:
Tu teſtis hoſtes quam poteruè illuſerint.
Cor dolor vrebat: ſocius mihi nemo doloris, "
Nemo dolorem qui leuaret anxium. "
Dulcia felle mihi tingebant fercula amaro: "
Pro vino aceti porrigebant pocula. "
Ergo victum illis vitient aconita vicißim:
Mœrorq; læta obnubilet conuiuia.
Vnde ſibi placidæ promittunt ocia pacis,
Hinc ſemen illis pullulet diſcordiæ.
Caligent oculi, & nutent veſtigia: vires
Elumbe corpus deſerant, iram tuam
Sic meritos effunde ſuper: tuus hauriat illos
Furor colonis tecta vidua mœreant:
Qui deſerta habitet tentoria nemo ſuperſit,
Quia perſequuntur dextera afflictos tua.
Afflictos miſerosq; procaciter inſultantes,
Verbis acerbant vulnera atque iniurijs.
Tu ſine peccatis cumulent peccata, nec vnquam
Dulcem æquitatis ſentiant fructum tuæ.
Impia de tabulis viuentum nomina dele:
Tuos nec inter hos recenſe filios.
Me tenuem afflictumq; tua pater optime, dextra
Erige, locoq; ſiſte tutum in arduo.

Hic

Hîc ego carminibus rerum super astra parentem
Tollam, & celebri gratias in cœtu agam.
Gratius hoc illi est quàm si cadat hostia ad aram,
Vitulus tenellus iam coniscans cornibus.
Aspiciens mites, & pectore gaudia voluent,
Deum colentum læta corda gestient.
Audit enim Dominus tenues, nec despicit ægros
Ob nomen eius vinculis coërcitos.
Vnum igitur tellus colat hunc, & pontus, & æther,
Et quicquid æther, terra, pontus continet.
Qui facit incolumem pulchram florere Sionem,
Vrbesq; Iudæ mœnibus cingit nouis:
Metiturq; suis rura antè inculta colonis,
Tenenda blandis quæ relinquant liberis.
Quæ placida teneat series in pace nepotum.
Quicunque Domini nomen & numen colunt.

PSAL. LXX. Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum, &c.

ARGVMENTVM.

Opem Dei in periculo quàm maximo
Implorat Hebræus poëta his versibus.

CARM. GEN. 17.

O Deus præsens ades, & periclis
Me præsentibus eripe:
O Deus duros propera labores
Confestim auxilio vt leues.
Qui meam quærunt animam, erubescant,

Fœdam

Fœdam ignominiam ferant:
Et fuga turpi doleant malignis
Qui me consilijs petunt.
Terga dent, fusos pudor vt perurat,
Qui rident gemitus meos.
Teq̃ clementi & placido fruantur,
Qui gaudent placitis tuis.
Qui salutis spem posuêre in vno
Te certam penitus Deo,
Gaudeant, semperq̃ canant, Perennis
Maiestas & honor Deo,
Sunt meæ vires & opes pusillæ:
Sed tu me Deus adiuua.
Tu meæ vires, mea spes, opesq̃.
Festinus fer opem mihi.

PSAL. LXXI. In te Domine speraui, non confundar, &c.

ARGVMENTVM.

Opem Dei implorat pius vates. canens
In se ipsius summi patris clementiam.

CARM. GEN. 15.

IN te salutis spem posui meæ,
Fac me perennis ne pudor obruat.
Audi vocantem lenis, & eripe
Hostis cruenti me violentiæ.
Vitæq̃ custos & columen meæ,
Turrisq̃ rebus semper in asperis.
Nunc turris esto & perfugium mihi,
Et sæuientum subtrahe dexteræ.

Aui

A ui ſceleſtæ ſubtrahe dexteræ
Pendentem ab vno ſubſidio tuo:
Et qui iuuentæ tutor eras meæ,
Orbam ſenectam viribus aſſere.
Tu me tuendum matris ab vbere
Duxti: pependit matris ab vbere
Spes noſtra de te. materies meis
Vna eſt perennis laus tua cantibus.
Ceu continenter prodigium malis
Natum ferendis, rideor impijs.
Sed me malorum fluctibus obrutum
Spes vna fulcit præſidij tui.
Me lux videbit, me tenebræ tuas
Laudes canentem: tam ſenio grauem,
Fractúq; laſſo corpore viribus,
Ne me impiorum trade libidini.
Et clam ſuſurrant, & caput in meum
Occulta tendunt retia per ſcelus,
Et dum ſceleſtum propoſitum premunt,
Aiunt, Ope illum deſtituit Deus:
Inſtate fracto, prendite, perdite
Nudum ſalutis vindice Tu Deus
Ne linque fretum præſidio tuo:
Præſenſq; ſæuis hoſtibus eripe.
Pudore vultus inficiat rubor
Hoſti doloſo, fraude neſaria
Qui me aucupatur: mœreat irrita
Conata, vanum lugeat exitum.

Liber

Liber periclis, carmine te nouo
Pangam tenacem polliciti, & tuis
Promptum iuuandis: & numeris meis
Aptabo laudes innumeras tuas.
Canam potentem te dare prospera
Euenta, belli quum fremuit timor:
Canam fidelem reddere fœderum
Promissa largo non sine fœnore.
Ab vsque primo flore pueritiæ
Laudum tuarum tu mihi carmina
Semper præisti: ne senio grauem
Canumq; nunc me spes mea desere,
Donec nepotum sæcula nouerint
Me vate, quanto robore, qua fide
Me liberaris. iustitiæ tuæ
Conuexa mundi gloria transuolat.
Rerum creator, quis similis tui?
Qui me malorum gurgite merseras,
Mitisq; vita rursus amabili,
Tracto è profundo gurgite, das frui.
Opesq; honoresq; accumulas bonus,
Ira remissa: & pectora turbida
Solaris. ergo te cithara canam
Nabloq;, certa conspicuum fide.
O sancte, nostræ gentis ab vltimo
Protector ortu, vox mea te canet:
Te spiritus, te vita laboribus
Exempta duris, laudibus efferet.

Lux

Lux nulla ſolem proferet aureum,
Qui prædicantem iuſtitiam tuam
Non audiet me, rex bone, qui meis
Rubore vultum offuderis hoſtibus.

PSAL. LXXII. Deus, iudicium tuum regi dá, &c.

ARGVMENTVM.

His verſibus vatis canora barbitos
Felicitatem Salomonis concinit
Regni, atque rectum: plurima inſerit tamen,
Quæ ad filium tantum patris ſummi attinent,
Nam quædam imago huius fuit regnum illius.

CARM. GEN. 5.

DA tuæ regi Deus æquitatis
Ius ad exemplum dare, filioq́
Regis, vt legum patriæ ad ſalutem
Flectat habenas.
Vt regat iuſtis populum inſtitutis,
Pauperum queſtus facili tuorum
Aure cognoſcat, dirimatq́, lites
Legibus æquis.
Pace lætentur iuga montiumq́
Horridi ſaltus: genitrix quietis
AEquitas colles amet, aſperosq́
Ruris alumnos.
Ius ſuum det pauperibus, potentum
Curet vt ne vi tenues premantur.
Deſtruat quiſquis miſeros doloſis
Litibus vrget.

Vt re-

Vt reformidet venientis æui
Gens tuum nomen, sua sol diei
Donec effundet, sua luna donec
Lumina nocti.
AEquitas & ius veniens Olympo
Recreet terras, veluti sub æstu
Imber, & rores pluuij beatos
Ruris honores.
Floreat, rerum hoc moderante habenas,
Ius, bonæ paces vigeant, perenni
Luna dum cursu rediens nouabit
Menstrua vultus.
Imperi fines maris vnda fluctu
Hinc & hinc claudat: spatiumq; latis
Quod modum regnis faciat, sit idem
Terminus orbis.
Ad pedes illi cadat aduolutus
AEthiops: hostes veniam precati
Supplices, vultus humiles comamq; in
Puluere verrant.
Qui tenent pontum refluiq; ponti
Insulas, regesq; Arabum beati,
Thuris & dites venient Sabæi,
Dona ferentes.
Illum adorabunt, mare quà remotis
Obstrepit terris, metuentq; reges,

Seruient gentes ſub vtroque mundi
Axe iacentes.

Ille deſertos ope ſubleuabit:
Eximet curis querulos: egeno &
Pauperi dextram dabit: obrutosq;
Fœnore ſoluet.

Nec velut vilem tenuis cruorem
Plebis effundi ſinet. ergo viuat,
Deq; theſauris Arabum beatis
Munera ſumat.

Ac ſuo regi benè comprecatus,
Illius laudes canat, illum honoret:
Largam opum dextram celebret, patremq;
Vulgus adoret.

Per feros montes ſegetem refundat
Terra, tam denſis crepitans ariſtis
Quàm graui Cedros Libani flagellant
Murmure venti.

Augeat prolem numero carentem
Per vias vrbis bona pax beatæ:
Læta ceu campis riguis per imbrem
Gramina ſurgunt.

Nomen æterno iuueneſcat æuo,
Filij nomen, iubar vſque ſolis
Dum vagæ fundet radiata terris
Lumina flammæ.

Ille rex gentes faciet beatas

Quas

Quas sinu claudit refugo Amphitrite,
Omnis hunc tellus canet Amphitrite
Cincta beatum.
Isaci gentis Domino Deoq́,
Laus, honor, virtus: opis haud egenus,
Illa quæ cuncti attonitti intuentur,
Perficit vnus.
Nomen augustum canat omnis ætas,
Vlla quod nunquam taceat vetustas:
Nominis sancti penetret per omnes
Gloria terras.

GEORGII BVCHANANI

PARAPHRASIS, IN III. *librum Psalmorum.*

PSAL. LXXIII. *Quàm bonus Israel Deus ijs, qui recto sunt corde, &c.*

ARGVMENTVM.

Solatur illum, qui solet sæpe angier
Felicitate, & impij potentia,
Bonos egestate, & videns incommodis
Varijs premi. Videtur in Saulem inuehi
Regem improbum, ipsiusque Consiliarios.

CARM. GEN. 15.

TEllus vt vndis hospitium neget,
Vndæq; terras fluctibus obruant,
Aër coruscis fulminet ignibus,
Ruina mundi sydera misceat:
Dei potentis non bonitas tamen
In rebus arctis destituet pios,
Purasq; mentes nequitia sinet
Fraude impotenti funditus opprimi.
Quàm penè lapsu pes mihi lubrico
Gressum fefellit, dum pede metior

Immen-

Immensa paruo dum trutina mea
Expendo stultus iudicium Dei!
Feruebat ira pectus, & æmulo
Liuoris æstu, quum scelerum omnium
Contaminatos sordibus impios,
Florere cunctis conspicerem bonis.
Sors illa cunctis inuida, mobilis,
Infida seruat perpetua fide
Istis tenorem, & robore viuido
Firmos senectam ducit ad vltimam.
Exempta duris vita molestijs
Curisq́, (pectus quæ reliquis coquunt
Mortalibus) per lætitiam fluit
Luxumq́, & ægris pura laboribus.
Ergo insolenti fœta superbia
Corda intumescunt: pectora spiritus
Ventosa tendunt cæcus amor sui
Fræna impotenti dat violentiæ.
Tecta inuidendas non capiunt opes,
Felicitatem non animus suam:
Et vota vincens spemq́, superfluus
Luxus fatigat, nec satiat tamen.
Verbis minores terrificant feris,
Et fastuosæ mole potentiæ:
Vultus procaci & vocibus improbis
Adblandiuntur nequitiæ suæ.
Nec impudentis garrula vanitas
Contenta linguæ fundere toxica

Terras per omnes, astra lacessere
Audet, Deumq; insana superbia.
Hæc mente spectant attonita pij,
Et æstuanti pectore fluctuant:
Secumq; mussant, Scilicet hæc Deus
Quum cernat, atris abstinet ignibus?
Opes abundè suppeditant malis,
Crescitq; nullo fine pecunia:
Secura pacis molliter ocia
Quassante nullo turbine transigunt.
Frustra ergo puro pectore viuitur:
Frustra innocentem contineo manum:
Frustra labores perfero, torqueor
Dolore, nullis non crucior malis.
Rursus verebar ne temerario
Ausu improbarem consilium Dei,
Ac arbitrarer fortè miserrimos,
Selecta quos is pignora nuncupat.
Causas latentes dum sequor anxius,
Et pertinacis viribus ingeni
Pugno, profundum se chaos ingerit,
Et nocte mentis lumen adobruit.
Labore tandem fessus inutili
Ad te recurro, rex bone cœlitum:
Quietus expecto ex adytis tuis
Quid hos & illos separet exitus.
Vidi repentè quàm pede lubrico
Starent superbi: quàm stabiles parum

Opes

Opes tenerent, quàm fragili loco
Fultos ruina præcipiti trahas.
Procella vindex vt sonuit tuæ
Iræ, fugaces cum domino suo
Euanuerunt diuitiæ: manet
Vmbra inuidendæ nulla potentiæ.
Sic nocte mentes ludificans fugit
Imago somni: & quæ modò pectora
Sopita vano terruerat metu,
Risus per vrbem mox ciet omnibus.
Donec viderem hæc, mœror & anxiæ
Mentem obruebant sollicitudines:
Aut hæsitantem, ceu stupidum pecus,
Torpor ligabat pectore marcido.
Arcana sed vis interea tui
Me fulciebat numinis, ac manum
Dextram regebas: auspicio tuo
Ductuq́, clarus fulgeo gloria.
Quid terra præter te mihi? quid polus
Offert colendum? cor mihi tabuit,
Infracta mens desiderio tui
Languebat, ægrum corpus inaruit:
Tu rursus artus robore viuido
Firmasti: opimas suppeditasti opes.
Qui te relicto, spe stolida Deos
Vanos adorant, cladibus obruis.
Te sector vnum, tu superas meis
Spes vna rebus: præsidio tuo

Liber periclis, auctus honoribus,
Te sempiternis laudibus efferam.

PSAL. LXXIIII. Vt quid Deus repulisti, &c.

ARGVMENTVM.

Iudæa gens deplorat incendia sacri
Fani, vrbis & vastationem deprecans,
Summum patrem Deum, vt aliquando opẽ ferat.

CARM. GEN. 3.

CVR nos relinquis penitus, ô rerum parens,
Hostiq́ dedis impio?
Lupis vorandum cur gregem pastor tuum
Ira obstinata deseris?
Memento cœtus seruitute ab aspera
Quem vendicasti: quem tibi
Peculiari sorte, patrimonium
Ceu proprium, receperas.
Colles Sionis, numinis sedem tui,
Bonus fauensq́ respice.
Tandem resurge, & hostium superbiam
Compesce: perde funditus
Hostes proteruos, qui tuum sacrarium
Manu nefanda polluunt.
Clangunt sonora buccina, non quæ tuas
Laudes canat, ludibrio
Sed festa acerbo quæ profanet, in tuis
Vexilla figunt turribus,

Baccha-

Bacchatur audax ira frænis libera
AEdis ruentis it fragor:
Quales sub altis murmurant quercus iugis,
Cæsæ bippenni quum ruunt.
Demoliuntur malleis & vectibus
Cælata templi limina.
Populatur ignis adyta: nominis tui
Contaminant sacrarium.
Secumq; tacito comminantur pectore
Se diruturos omnia.
Nec temerè flammis strata fumant omnia
Tuo dicata cultui
Loca. signa nusquam, nulla iam miracula
Propheta nullus perditos
Solatur, & spe quamlibet lenta, tamen
Spondet malorum terminum.
Quousque tandem nomini fines tuo
Hostem proteruum illudere?
Quousque acerbis facta dira & impia
Exasperabit iurgijs?
Cur otiosus retrahis manum? exere
Tandem potentem dexteram.
Tu noster olim rector & custos Deus
Priscis abusque sæculis.
Te vidit orbis vindicantem ab omnibus
Semper tuos periculis.
Seceßit vnda te iubente, & vitreo
Muro liquor coërcuit

Cursum: feroces viribus suis duces
Ponti recursus obruit,
Ipsum marinis vastiorem belluis
Hausit tyrannum, & asperis
Afflicta saxis, fluctibus cadauera
Eiecta vultur AEthiops
Vorauit: inter æstu arenas torridas,
De cote dura limpidi
Fluxere riui: te imperante substitit
Arente flumen alueo.
Tuus dies est, nox tua est: solis iubar
Radijs adornas aureis,
AEquorq; claudis littorum repagulis,
Terrasq; cingis fluctibus.
AEstate lenis frigus acre, frigoris
AEstu rigorem temperas.
Domine intuere probra, contumelias,
Et hostium ludibria,
Qui te lacessunt impijs conuitijs,
Molestijs nos opprimunt.
Ne trade vitam turturis tuæ feris.
Turbam tuorum pauperum
Ne sempiterna obliuione desere.
Memor tui sis fœderis.
Nam nec tenebræ nos tegunt, nec pellimus
Obscuritate iniurias.
Ope destituti & omnibus fracti malis
Populi pudori consule:

Vt te

Vt te merentem prosequantur laudibus
Miseri leuati luctibus.
Exurge rector orbis optime, & tuam
Causam tuere: sis memor
Quæ probra passim nomini semper tuo
Stulta ingerat procacitas.
Voces superbas & tumultus improbos
Silentio ne supprime:
Curamq; rerum gerere te mortalium,
Qui negligunt te, sentiant.

PSAL. LXXV. *Confitebimur tibi Deus: confitebimur, & inuocabimus, &c.*

ARGVMENTVM.

Græci, & Latini vt sentiunt interpretes,
Inducitur Christus loquens, & impios
Sontesque deterrens ab arrogantia.

CARM. GEN. 13.

TE nos carminibus, rex bone patrijs
Dicemus meritò: te celebrabimus
Præsentem miseris: & memorabimus
Facta illustria posteris.
Quum plenis venient tempora sæculis,
Cogam, inquit Dominus, concilium meum:
Iustis supplicijs prosequar impios,
Iustis muneribus pios.
Fundamenta soli dissiliant licet,
Turbetur trepidis gens hominum minis,
Fundamenta soli fluxa adamantinis

Nectam

Nectam rursum ego vinculis.
O stultos: quoties admonui modum
Vesanæ vt facerent nequitiæ suæ!
In cœlum quoties admonui impios
Ne stultè arma capesserent!
Quid cœlum stolida voce lacessitis?
Qua spe sic furitis? spiritus arrogans
Cuius præsidio fretus in æthera
Cristas erigit impias?
Eois coëat viribus Occidens,
Coniurent calidæ cum Borea plagæ,
Frustra diuitias, sceptra, potentiam
Cuiquam conciliauerint.
Vnus rex hominum, res hominum suo
Versans arbitrio, præcipitem trahit
Illum de solio, plebis ab infimæ
Hunc fæce ad solium erigit.
Nam cratera meri purpurei Deus
Iam dextra tenet, & vindice pharmaco
Vndantem pateram temperat, & malis
Iustum supplicium parat.
Illinc impietas vndiq; ab vltimis
Terrarum spatijs hauriet, & mero
Consumpto, cupido gutture turbida
De fæce exitium bibet.
At me vate, Dei quem genus Isaci
Et thure & precibus placat & hostijs,
Omnis posteritas munificentiam

Et vim

Et vim numinis audiet.
Confringam tumidæ tela superbiæ
Formidata bonis: cladibus obruta
Emerget pietas, & super æthera.
Tollet conspicuum caput.

PSAL. LXXVI. *Notus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius, &c.*

ARGVMENTVM.

Victoriam insignem hoc celebrat carmine
Eamque opinor, quam reportarant fero
De Senacheribbo rege Iudæi duces.

CARM. GEN. 13.

GEntes profanæ numinis loco colunt
Sibi quisque quem finxit Deum:
Iudæa verum nouit & colit Deum,
Laudatq; festis cantibus:
Deum Sionis incolam, Solymæ sacris
Cui templa fumant ignibus.
Illic minaces fregit arcus, lacida
Fregit sagittæ spicula.
Clypea sinistris rapuit, enses dexteris.
Funesta bella sustulit.
Tu belluosis montium clarus iugis
Apparuisti: tu feram
Compescuisti fortium superbiam
Regum, potenti dexterâ.
Fracta minacis spiritus ferocia,

Prædæ

Prædæ fuêre: aut ferreo
Somno grauati condidere lumina.
Obtorpuere dexteræ
Fortes virorum, vis equorum, & curruum
Elanguerunt impetus.
Tuum verendum nomen & numen tuæ
Quando æstus iræ incanduit,
Quis obuiam ausit ire? quis miserum caput
Tuo furori obiecerit?
Quum templa mundi fulminum quateret frage,
Vt impia tyrannide
Pœnis repressa simplicem modestiam
Et seruitute abdiceres,
Attonita tellus siluit: imbellis pauor
Mentes superbas perculit.
Vltricis iræ scelera pœnis obruta
Humana gens quum cerneret,
Boni efferebant laudibus te, conscius
Premebat horror impios.
Vota ergo Domino nuncupate & reddite:
Domino verendo munera
Ferte vniuersi ciuitatis incolæ
Sanctæ, Deumq; agnoscite.
Reges superbi quem pauent, qui spiritus
Feros retundit impijs.

PSA

PSAL. LXXVII. *Voce mea ad Dominum clamaui, &c.*

ARGVMENTVM.

Iudæa gens (Græci vt putant) inducitur
A vate, narrans quo dolore affecta sit
Angustia in graui, atque mentis quo modo
Leuauerit mœrorem, & angorem suæ.

CARM. GEN. 6.

TE voce semper, te prece supplice
Rerum inuocabo conditor optime.
Nam lenis ac placatus aurem
Das facilem miseris querelis.
Ad te refugi quum premerer malis,
Ad te tetendi sollicitus manus
Sub nocte sola, donec atras
Lux tenebras rediens fugaret.
Mens inquietis fracta doloribus,
Surda abnuebat aure fidelium
Voces amicorum, medelæ
Impatiens: animusq; solum
Intentus in te, cum lacrymis preces
Miscens fremebat: pectora flebili
Concussa singultu sonabant,
Cura animi cruciabat artus:
AEstus vetabat sollicitudinum
Dulcem soporem carpere lumina:
Segnis ligabat membra torpor,
Vocis iter dolor obstruebat:

Tum

Tum mente versa voluere sæcula
Cœpi anteacti temporis, ac Dei
Numen bonis præsens, nec vnquam
Auxilij miseris auarum.
Laudum subibat quas tibi carmine
Lyræ canebam suauiloquæ ad modos:
Secumq; vestigabat ægra
Mens vario labefacta motu,
Num me relicto in perpetuum Deus
Opis benignam iam retrahit manum?
Nec amplius suum tenebit
Larga Dei bonitas tenorem?
Nec ore vatum leniet anxias
Curas suorum? nec miseris erit
Placabilis? nec sistet iræ
Præcipitem bonitate cursum?
Tandem remisso pectore, Quò dolor
Impellis? inquam: stant adamantinis
Decreta cœli fixa vinclis,
Nec dubio labefacta casu,
Nec fracta vi, nec temporis inuidis
Obliuiosi obnoxia dentibus.
Rursus tuæ mentem subibant,
Sancte parens, monimenta dextræ:
Qui templa picti syderibus poli,
Frugumq; campos germine fertiles,
Et sæcula tot nostros ad vsus
Condideris pecudum & ferarum.

Quàm

Quàm sæpè, pœnis dum premis improbos,
Tutoq́, sulcis præsidio probos,
Mortalibus clementiæq́, &
Iustitiæ specimen dedisti,
AEterne rerum conditor! omnia
Consulta cuius factaq́, sanctitas
Illustrat. haud quicquam tibi ingens
Orbis habet simile aut secundum.
Mirante mundo tu Deus vnice
Miræ dedisti signa potentiæ,
Ergastulis quum liberasti
Abramidas Pharij tyranni.
Vidêre fluctus te tumidi Deus,
Vidêre fluctus, & trepido gradu
Fugêre: turbauit profundas
Horror aquæ vitreæ lacunas,
Fudêre aquosas imperio tuo
Nubes procellas de grauido sinu,
Sonore rauco: grandinisq́,
Infremuit lapidosus imber.
Cœli tonantis vastificus fragor
Implebat aures: lumina fulgurum
Terrebat ardor, & pauore
Attonitæ tremuêre terræ.
Sali rubentis peruia vastitas
Ductore te tot millibus obruit
Vestigia, & fluctu refuso
Clausit iter Pharijs quadrigis.

Moses & Aron (ceu pecudum greges
Pastor reducit) præsidio tuo
Duxere tranquillas per vndas,
Incolumes populi cateruas.

PSAL. LXXVIII. Attendite popule meus legem meam, &c.

ARGVMENTVM.

Enarrat hoc cantu pius vates quibus
Quantisque Hebræos commodis
Deum parens affecerit, quibus nihil
Fingi potest ingratius.

CARM. GEN. I.

AVdite Isacidæ, & rerum pietate parentem
Qui colitis puram, huc animos aduertite ve-
(stros.
Mira canam, sed vera canam: quæ longæ vetustas
Occulit, arcanis oracula mersa tenebris,
Euoluam: priscis accepta parentibus olim
Veriloquis dictus, in sæcula sera nepotum
Transmittam: laudesq; Dei, mirandaq; facta
Cognita de proauis discent, me vate, minores.
Namq; parens mundi sancto quũ fœdere gentem
Iungeret Isacidũm sibi, patres prodere natis
Per seriem, & seris venientia sæcula sæclis,
Et legum monitus & facta ingentia iussit.
Scilicet vt memori benefacta priora tenentes
Pectore,

Pectore, consilium vitæ auxiliumq́ regendæ
A Domino expectent, trepido turbate tumultu:
Ne tam cæca animos condant obliuia, legum
Irrita ventosis vt dent præscripta procellis.
Neu similes patrum malè grata mente rebelles,
Deficiant animi instabiles, dubioq́ labantes
Pectore. Cur soboles Efræmi docta sagittis
Figere vel iaculo quamuis distantia certo,
Terga dedit penè ante tubas? latebrisq́ salutem
(O pudor) abiectis quæsiuit turpiter armis?
Nempe quòd auersos flexêre per auia gressus,
Obliti legum & monitorum & fœderis icti,
Obliti tantorum operum quæ testibus olim
Patribus, in Pharijs Dominus patrauerat oris.
Quum mare diuisit sese cumulante profundo,
Inter & aggestos vndæ stagnantis aceruos
Incolumem eduxit populum, duce nube, serena
Luce, per obscuras flamma præeunte tenebras.
Flumina de solidi patefecit vulnere saxi,
Damnatisq́ siti riuos donauit arenis.
Nec, satiati vndis, linguas tenuêre procaces,
Ausi immane scelus, deserta per auia rursus
Tentauere Deum: & ventris stimulante voracis
Ingluuie, petiere cibos: ac talibus ora
Soluerunt. Silicis duræ qui flumina venis
Elicuit, subitoq́ sitim torrente leuauit,
Non potis est panem, non lautæ fercula mensæ
Addere? non epulis conuiuia larga profusis?

Ephraim.

Audijt omnipotens, calidaq; accensus ab ira est,
Flammarumq; globos fudit super agmina largis
Imbribus. & stolidos compescuit ignibus ausus.
Et populo tamen ingrato, totiesq; salutis
Immemori acceptæ, dapibus dedit esse petitis.
Castra super latè ætherij patefecit Olympi:
Horreaq; & nubes cœlesti semine fœtas
Ambrosiæ largos super agmina soluit in imbres:
Cœlestiq; cibi indulsit mortalibus vsum.
Cedere tum iusso campis ex aëris Euro,
Mox trepidis volucrum pluuias Notus attulit alis,
Non secus ac siccæ cumulos quum verrit arenæ,
Puluereamq; trahit deserta per arida pallam.
Castra super tensisq; super tentoria velis
Alituum tremulis resonabant agmina pennis,
Et circum aussusis cumulabant stragibus agros.
Iamq; epulis exempta fames: sed praua libido
Non exempta tamen, sed adhuc sine fine petitæ
Faucibus hærebant epulæ. Deus ecce repentè
Vltor adest: latè subitò grassante ruina,
Robora selectæ passim cecidêre iuuentæ.
Sed neque tot pœnæ, neque tot benefacta rebelles
Continuere animos, nec tot miracula, rerum
Natura monstrante Deum. Pater ergo procaces
Casibus assiduis fregitq;, & robore fracto,
Ante diem tremulæ succidit fila senectæ.

Vix

Vix tandem morbis vexati, erroribus acti,
Omnibus exhausti propè cladibus, omnium egeni,
Agnouere Deum: per tot discrimina tecti,
Ereptiq̃ malis, sæuoq̃ ex hoste recepti,
Verba tamen blandis fundebant subdola linguis
Ore pij, mendace animo: neq; fœderis icti
Seruauêre fidem. Verum clementior ille
Sontibus ignouit: patria pietate remisit
Offensas, meritamq̃ vltro compescuit iram:
Quippe homines memor esse animi modò flabra fugacis,
Quæ fragiles agitent morituri corporis artus.
O quoties inter viduas cultoris arenas,
Inter saxa siti squalentia, numinis iram
Languentem insanis irritauêre querelis:
Et sua diuinas dimensi ad robora vires,
Virtutem breuibus voluêre includere metis,
Quæ mare, quæ terras, quæ cœli continet orbes.
Scilicet obliti benefacta priora, salutem
Acceptam, & duri nuper iuga dempta tyranni,
Et quæ per Pharias miracula plurima gentes
Edidit, in vitreos suffuso sanguine riuos,
Damnatiq̃ siti laticum sine munere mensis.
Et modò pestiferæ per celsa palatia muscæ
Spicula figebant liuenti tincta veneno:
Et modò flumineis squalebant atria ranis.
Et nunc bruchus edax hominumq̃ boumq̃ labores,
Agmine nunc denso diræ exedêre locustæ.

Grandinis imbre hortos, lapidosa grandine vites,
Grandine syluarum Dominus decussit honorem:
Grandine prostrati fortes iacuêre iuuenci:
Et segetum grauidos ruit igneus imber in agros
Ira Dei, laxisq; furor bacchatus habenis,
Eumenidumq; faces, & conscius horror oberrans
Pectora, turbabat stimulis præcordia cæcis.
Tum læto patefacta via est: mors sæua per omne
Passim hominum pecudumq; caput, nulli æqua, cu-
(currit:
Primitias sobolis, charissima pignora, florem
Roboris, & seræ spem, præsidiumq; senectæ
Prostrauit, quà Nilus aqua se diuite voluit,
Et septem geminis refluum mare submouet vndis.
Interea, ceu pastor oues in pascua ducit,
Ipse suum Dominus populum deduxit ab omni
Vi procul & trepida formidine: fluctibus æquor
Obruit infestos in se redeuntibus hostes.
At sancti tenuêre patres loca sancta, Deiq;
Parta manu, exclusit gentes prius vnde profanas,
Aut prostrauit humi victas: & iugera mensus
Abramidis habitare dedit. Nec segnius illi
Irritare Deum, & rerum tentare parentem,
Fœdera negligere: & patrum de more rebelles,
Auertêre suos recto de tramite gressus:
Non secus ac arcus curuat se in cornua neruo
Adducto, dextraq; iterum neruoq; remisso
In faciem subitò flectit se sponte priorem:

Libera

Libera sic iterum gens impia vindice pœna
Ad sese redijt: cunctisq; in collibus aras
Erexit finxitq; sibi simulacra Deorum,
Ac Dominum rerum meritas accendit in iras.
Audijt omnipotens pater impia vota precesq;,
Et sibi dilectam gentem contempsit: & aras
Ipse suas, ac Silonis tentoria liquit,
Sola sibi è cunctis electa habitacula terris.
Deseruitq; sui monimentum fœderis arcam
Hostibus in prædam: monimentum roboris, vnde
Clara Dei in cunctas splendebat gloria terras.
Hos ferro, terræ iratus sibi nuper amatæ,
Obiecit, flammis alios: cecidêre cruento
Ense sacerdotes: non connubialia festis
Carmina sunt cantata toris, chariq; mariti
Indeploratis viduæ iacuere sepulcris.
Ast vbi iam pœnis meritam satiauerat iram,
Ceu crapula excussa miles, lentoq; sopore
Excitus, arma iterum fugientes vertit in hostes:
Tergaq; vulneribus figens imbella cæcis,
Perpetuam asperſit ventura in sæcula labem.
Non tamen Efræmum præstantem sortibus armis
Elegit, cui sceptra daret: non ille Manassæ
Pignora: sed Iudam, sed celsæ tecta Sionis,
Templa sibi & solido fundata sacraria saxo,
Cumq; polo & stellis mansuram in sæcula sedem.
Quiq; sequebatur pecudes in pascua Dauid,
Sustulit è caulis, charam & sibi pascere gentem,

Impositum solio, & sanctæ ius dicere terræ
Iußit: & ille gregem studio curaq́ fideli
Rexit, & infestis defendit ab hostibus armis.

PSAL. LXXIX. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c.

ARGVMENTVM.

Iudæa deplorare gens videtur hîc
Incommoda, Antiocho à truci quæ pertulit.

CARM. GEN. 3.

HAEreditatem, rector orbis, cur tuam
Inuadit hostis impius?
Ritu profano polluit sacraria
Tuo dicata nomini,
Soloq́ stratam funditus Solymam suæ
Tegit ruinæ molibus.
Truncata ferro membra te colentium
Paßim per agros obiacent
Lanianda rostris vulturum, crudelibus
Aut belluarum dentibus.
Riui cruoris perluunt vias, velut
Torrens adauctus imbribus.
Nec vsquam amicus ossa sparsa qui legat,
Aut lecta tumulis obruat.
Functiq́ fato pariter & superstites
Ludibrio accolis sumus.
Parens benigne, quem modum tandem tuæ
Speremus iracundiæ?

An

An continenter instar ignis omnia
Vorantis in nos sæuiet?
Tui furoris verte potius impetum
In impiarum gentium
Tot regna, nomen quæ tuum vel nesciunt,
Vel si sciant, non inuocant.
Semen piorum quæ laborant perdere
Armis, & vrbes ignibus.
Reuocando vetera, parce genitor, crimina,
Faces furori subdere.
Sed penè cunctis obrutos malis, tua
Nos præueni clementia.
Offensionum mitis obliuiscere,
Nostræ salutis anchora.
Placatus adsis, splendor vt cunctis tuæ
Clarescat oris gloriæ:
Os obstruatur impijs, quærentibus
Num noster hic cesset Deus.
O iuste vindex, impios exercitos
Pœnis vicissim cernere
Fac nos, cruore qui piorum sordidi
Nunc insolenter gestiunt.
Audi gementes carcerum qui vinculis
Marcent: potente dextera
De sauce mortis libera, quos cædibus
Iamiam tyranni destinant.
Et quam intulerunt contumeliam tibi,
Et quam tuis iniuriam,

Multiplicatam redde nostris accolis,
Rerum perennis arbiter.
Et nos, ouilis grex tui, quem pabulo
Alis, tucris numine,
Et posterorum posteri laudes tuas
Cunctis canemus sæculis.

PSAL. LXXX. *Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ouem, &c.*

ARGVMENTVM.

Hic gentis Hebrææ canit sanctissimus
Vates secundas res, minusque prosperas.

CARM. GEN. 16.

HEbræi generis pastor, vti gregem,
Blandè progeniem qui regis Isaci,
Inter qui geminos aligeros tuo
Præscribis populo iura salubria.
Selectæ soboli da bonus ac fauens
Lumen posse tuæ cernere gloriæ,
Da vim posse tuæ nosse potentiæ:
Ac fessis properè porrige dexteram.
Tu nos si placido lumine videris,
Cedent continuò cætera prosperè.
O rex armipotens, quem statues modum
Iræ? quando humiles suscipies preces?
Irroras lacrymis fercula, lacrymis
Misces continuis pocula: iurgia
Nostris finitimi de spolijs serunt,
Et nostra exagitant ludibrio mala.

O rex

O rex armipotens, agmina cœlitum
Cui parent, faciem cernere da tuam.
Tu nos si placido lumine videris,
Cedent continuò cætera prosperè.
Traduxti Pharia de scrobe vineam:
Prauarum expuleras semina gentium,
Vt puro sereres purius hanc solo.
Iam radix teneras fuderat vndique
Fibras: iam tremulo frigore texerat
Montes: æqua cedris brachia sparserat:
Tangebant teretes æquora palmites,
Euphraten teneri germina surculi.
Nudatam solitis cur modo sepibus,
In prædam hospitibus deseris hanc vagis?
Cur hanc sæuus aper proterit? alites
Carpunt? omnigenæ depopulant feræ?
O rex omnipotens, obsecro iam redi
Tandem, & sydereo prospice de throno:
Placatusq; tuam respice vineam,
Plantaras propria quam tibi dextera.
Hunc saltem placidus respice ramulum,
Cui cultu assiduo conciliaueras
Robur, clara tui gloria nominis
Terrarum vt populis nota sit omnium.
Illic flamma vorat brachia vitium:
Hic conuulsa gemunt: cæsa bipennibus
Hic duris resonant: omnia pessum eunt.
Iræ iusta tuæ nos premit vltio.

Indul-

Indulgens genitor, nunc ope subleua:
Firma præsidio nunc propius tuo
Hunc, vires & opes & decus antea
Affectu patrio cui cumulaueras.
Vitam redde tuis, sanctè parens, quibus
Semper mors auidis faucibus imminet.
At nos vsque ducem te comitabimur,
Præsentem miseris te celebrabimus.
O rex armipotens, agmina cœlitum
Cui parent, faciem cernere da tuam.
Tu nos si placido lumine videris,
Cedent continuò cætera prosperè.

PSAL. LXXXI. Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo, &c.

ARGVMENTVM.

Hortatur ad festos celebrandos dies
Gentem suam, ac piè colendum cœlitum
Patrem, ipsius simul studia quàm maxima
Canens in Hebræos, & admonens, Dei,
Legisque contemptus sacræ quam obsit malis.

CARM. GEN. 21.

EXultate Deo nostro, bona dicite verba
Nostræ salutis vindici:
Isacidûm laudate Deum Pæana canentes
Ad tympani dulces modos.
Nec lyra, nec cessent genialia nablia: festis
Tuba calendis clangite.
Hunc læti celebrate diem, stata sacra ferentes,

Nam

Nam sic statutum est patribus.
Sic lex sancta iubet, sic sacri fœdera pacti
Percussa cum maioribus.
Hæc est illa dies ventura in sæcula testis
Memphiticæ tyrannidis:
Quum Pelusiacis Hebri gens hospes in oris
Erraret, & linguæ sonum
Attonita ignotum audiret, nec nota vicissim
In verba frustra os solueret:
Quumq́ humeros curuaret onus seruile, manusq́
Lassaret olla fictilis,
Excussi manibusq́ ollas, humerosq́ leuaui
Luto, inquit optimus parens:
Auxiliumq́ tuli poscenti in rebus egenis:
Et nube densa conditus
Intonui: Meribam propter, tua iurgia passus,
Feci tui periculum.
Nunc etiam selecta mihi gens auribus hauri,
Et quæ paciscor accipe:
Si mea dicta vagis non tradas irrita ventis,
Nec alterum colas Deum,
Nec prostratus humi supplex noua numina adores,
Sed vnicum tibi me Deum
Esse velis, Domini qui rupta compede Nili,
Iuris tui te reddidi:
Posce modò: spe plura feres, potiora petitis,
Maiora votis auferes.
Hæc neque dicta suas populus demisit in aures,

Percutere foedus est ferire (sanci-
fœdus vel face-

Benè

Benè nec monenti paruit.
Ergo ipsos sibi permisi : frænoq; remisso
Solui vagam libidinem.
O potiùs monita audissent mea, me duce rectum
Vtinam institissent tramitem!
Namque humiles illis subitò fractosq; dedissem.
Hostes, meamq; dexteram
Vertissem in gentes, quæ recta odêre, profanas:
Et supplices mendacibus
Vultibus Isacidûm ambissent verbisq; fauorem
Felicium omne in sæculum
Isacidûm, quibus almus ager fudisset abundè
Frugum benignam copiam.
Mellaq; de duri fluxissent viscere saxi
Per arua cultus inscia.

PSAL. LXXXII. Deus stetit in synagoga Deorum, &c.

ARGVMENTVM.

Deum arguentem iudices gentis suæ
Inducit hoc poëmate.

CARM. GEN. 6.

Horat: od. 1. l. 3.

REgum timendorum, in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis, L.
Qui iudicantum examinabit
Nequitiam trutina seuera.
Num fraudulentos semper & impios
(Inquit) dolosa lance fouebitis?
Pauperq; pupillusq; vestrum

Cen

Ceu scopulum metuet tribunal?
Quin orbitatem cernitis anxiam?
Aurem querelis quin inopum datis?
Cur pauperes non à superbo
Ludibrio asseritis potentum?
Frustra monemus: lumina cæcitas,
Errorq; mentes obsidet: vt neque
Compaginem rerum solutam
Iustitia pereunte cernant.
Deos vocaui vos, dominos necis
Vitaq; feci: sceptrifera manu
Pacem dedi tueri, & armis
Lethiferum cohibere bellum.
At mors iniquæ iusta superbiæ
Vltrix, honores detrahet, & pari
Ignobili cum plebe fato
Purpureos rapiet tyrannos.
Exurge, legum fræna manu Deus
Capesse, cunctis arbitrio tuo
Qui regna dispensas vt orbi
Imperio domineris æquo.

PSAL. LXXXIII. *Deus quis similis erit tibi? &c.*

ARGVMENTVM.

In proximas gentes, Hebræos quæ petunt,
Factaque coniuratione acre inferunt
Bellum in Dei gentem, precantur numina
Patris

Patris Iacobei timentes admodum.

CARM. GEN. 2.

NE taceas, ne cuncteris, pater optime, néue
Preces tuorum sperne duris auribus.
Ecce fremunt hostes circum, & miscêre tumultu
Sæuo parati cuncta, cristas erigunt.
Concilia occultè coëunt, populoq; minantur,
Tu quem tuendum propriè susceperas.
Eia (aiunt) properate, omnem succidite syluam:
A stirpe sobolem deleamus Isaci.
En sceleri iurata manus coit omnis in vnum,
Tua instituta vt deleant & fœdera.
En cum palmifera iunctus Nabathæus Idume,
Soboles Moabi, & Agareni, & Gabala,
Cumq; Palæstinis Tyrijsq; Amalecus & Ammon
Syrusq; iungit castra Loti posteris.
At tu sterne solo victos, Madiana iuuentus
Vt cæsa texit semitas te vindice.
Sisara ceu tumidus cecidit, sæuusq; Iabinus,
Cissontis vndas turbidas quum sanguine
Tinxere: infletæ passim iacuere cateruæ,
Lætamen agris: nec fuga eripuit duces
Orebum & Zebum: nec subtraxere latebræ
A falce mortis Zebeamq; & Salmanam:
Dicere non veritos animo votoq; superbo,
Dominos futuros se tui sacrarij.
At tu sancte parens, sic hos vertigine torque,
Vt rotula cliuo, stipula vento voluitur:

Flam-

Flamma velut ſiccæ populatur brachia ſylvæ,
Per alta ſtridens montium cacumina.
Sic vrge attonitos conſternatosq́, procella,
Tui furoris diſsipa ſic turbine.
Sic animos dolor exurat, pudor ora coloret,
Suis miſerijs numen vt probent tuum:
Sic ignominia faſtum preme, damna timorq́,
Sic continenter territos exerceant,
Te ſolum vt noſcant Dominum, rerumq́, potentem
Quacunque terras ambit axis ignifer.

PSAL. LXXXIIII. Quàm dilecta tabernacula tua, &c.

ARGVMENTVM.

Quánam teneretur videndi cœlitum
Summi patris templum cupidine hic canit,
Quò non valebat ire per Saulem impium.

CARM. GEN. 8.

O Rex armipotens, qui creperos tuo
Bellorum arbitrio diuidis exitus,
Ergo limina templi
Lætus conſpiciam tui.
Hîc cor lætitia palpitat: hîc bonis
Languet mens nimijs ebria, geſtiunt
Artus, atria viui
Viſuri propius Dei.
Hîc paſſer latebras inuenit, hîc lôcat
Nidum veris auis nuncia. O atria

Regis bellipotentis
Vt vos aspiciam libens!
Felix qui domui perpetuò tuæ
Hærens te celebrat: qui penitus suam
In te spem posuerunt,
Felices ter & amplius.
Felices studio qui properant pio
Templo sacra tuo ferre: per aridas
Valles fontis amœni
De riuis liquidis bibent.
Nec deerit pluuiæ quæ repleat cauas
Fossas, agmen aquæ, dum properat premens.
Turmam turma, parentum
Ritu cædere victimas.
O rex armipotens, da placidum tuo
Te regi, capitis cui decus inclytum
Indulsti: bonus aurem
Ne duram abnue supplici.
Tu noster clypeus, rebus in asperis
Spes & præsidium: iuxta adytum tuum
Vnius mora lucis
Pro mille est mihi sæculis.
Sim custos potius liminis in tuo
Templo, sancte parens, quàm Solyma procul
Degam inter sceleratos
Multis clarus honoribus.
Tu sol, tu clypeus, tu Dominus: tuis
Tu das conspicua fulgere gloria.

Nec

Nec puro ſcelerum vnquam
Claudis munificam manum
O rex armipotens, quem penes exitus
Bellorum, & poſitis enſibus otia.
O his terq; beatos
Qui te ſpe ſolida colunt.

PSAL. LXXXV. Benedixiſti Domine terram tuam, &c.

ARGVMENTVM.

Sanctiſſimus vates canit tempus fore,
Deum parens cùm filium pervnicum
Aſperrima læui hoſtis à tyrannide,
Cunctisque liberaret humanum genus
Malis, & æquum, paxque, cùm & clementia,
Verumque florerent in oris omnibus.

CARM. GEN. I.

NOn ſemper tumidis feruent vexata procellis
Aequora, nec gelida riget horrida terra (pruina:
Inq; vicem ponunt venti, mare ſternitur, aura
Mitior in florem torpentes euocat herbas.
Nec ſemper Deus auertis mœrentibus aurem
Durus, & indulgens iræ: quondamq; fauore
Sponte tuum amplexus populum es, vincliſq; ſolutis
Seruitij, patrias duce te remeauit ad aras.
Oblitus ſcelerum & violati fœderis, iram
Leniſti, & patria texiſti crimina cura.

Et nos ergo parens, nostra & spes vna salutis,
Respice placatus faciliusq; : animumq; benignum
Accipe: perpetuæ néue implacabilis iræ
Sæuiat in seros etiam vindicta nepotes.
Respice nos melior tantùm: quodcunque miselle
Spirat adhuc animæ, te respiciente vigorem
Accipiet: populoq; tuo, iam nube repulsa
Tristitiæ, lætos hilarabunt gaudia vultus.
Alme parens, bonitate tua complectere fessos,
Speratæq; diu iam fructum ostende salutis.
Iamdudum expecto, Dominus dum læta futuri
Signa det, arcano pulsans præcordia motu,
Et dabit haud dubiè posita placabilis ira
Signa secunda: pijs dabit omnia prospera, leges
Qui patrias & sacra colent, errore relicto.
Ecce salus, ecce incultus bona copia terras
Incolet, & læti renouatrix gloria sæcli.
En bonitas, en alma fides feret obuia gressus:
Terra fidem, cœlo terras Astræa relicto
Sancta colet: comes Astrææ bona copia cœlo
Appluet, & lætos decorabit frugibus agros.
Et quacunque feret Dominus vestigia, gressus
Ante ferent ius fasq; suos: lis, vnq; dolusq;
Deseret afflictas per tot iam sæcula terras.

PSAL.

PSAL. LXXXVI. *Inclina Domine aurem tuam, &c.*

ARGVMENTVM.

Precatur hoc Deum poëmate optimum
Vitam vt ſuam defendat à tot machinis
Ac hoſtium inſidijs, & vt mentem ſuam
Amore virtutis piæ accendat, ſimul
Patris poteſtatem, & canit clementiam.

CARM. GEN. 10.

DA mitis aurem ſupplici
Deus: ſaluti conſule
Ope deſtituti & pauperis:
Nec iræ ſemper vindici
Seruum tuum ſerua Deus,
Cui ſpes ſalutis vnica es:
Serua inuocantem iugiter
A ſolis ortu ad veſperum.
Depelle mentis nubila
Pendentis à te ſeruuli,
Blande parens clementiæ,
Promptus vocanti parcere.
Intentus audi ſupplicem,
Nam te vocamus arduis
In rebus, inuocantibus
Opem benignus quòd feras.
Nullus Deorum par tibi:
Nullus ſecundus: exerit

Nullus suam potentiam
Tam splendidis miraculis.
Rerum creator, vltimis
Ab orbis oris affluent,
Flexoq; gentes poplite
Te prosequentur laudibus.
Solus nec æui termino
Inclusus aut potentiæ,
Deus Deorum, gentibus
Miranda cunctis perpetras.
Legum tuarum semitam
Fac ingredi me: pectoris
Compone fluctus turbidos,
Tranquilla mens vt te colat.
Vt spiritus contagio
Emancipatus corporis,
Tuam celebret gloriam,
Dum vita voxq; suppetet.
Viuo tua clementia
De fauce mortis erutus,
Quum virium fiducia
Sæuiret hostis insolens:
Secura quum vis numinis
Mihi immineret, tu Deus
Es lenis & placabilis,
Et pacta fidus reddere.
Mitis bonusq; respice,
Qui pendet ex te, seruulum:

Opem

Opem fer, & vernaculum
Tuum periclis exime.
In me fauorem sentiant
Hostes tuum: ora decolor
Mutet pudor, quum viderint
Mihi te salutis vindicem.

PSAL. LXXXVII. *Fundamenta eius in montibus sanctis, &c.*

ARGVMENTVM.

Gregem hoc piorum hymno celebrat, ciuitas
Quam significat Hebræa, præstantissima,
Et gentium omnium salutem præcinit.

CARM. GEN. 3.

ABramidarum cæteras vrbes supra
Dominus Sionis diligit
Portas, Sionis, imminet quæ montium
Fundata sanctis collibus.
O prædicanda posteris sæclis Sion,
Beata mater vrbium:
Tecúmne Babylon se audeat componere?
Tecúmne Memphis insolens?
Ventura Babylon sub iugum Dei, Deo
Flexura Memphis poplitem.
Præclara quamuis & palæstina & Tyros
Iactet virorum robora:
Nihil ad Sionem fortibus fœtam viris,
Fauore tutam numinis.

Censore Domino humana gens quum nomina
Ad profitenda confluet,
Quis non Sionis se ferre ciuem, inseri
Quis non colonus ambiet?
Tum vox Sionem carminum, tum vox lyræ
Canent Sionem & tibiæ:
Et nostra si quid vox audiendum sonet,
Laudem Sionis vox canet:
Et si quid animus voce dignum excogitet,
Animus Sioni seruiet.

PSAL. LXXXVIII. Domine Deus salutis meæ, &c.

ARGVMENTVM.

Precatio hæc affectibus plenissima
Est, & querelis: qua suam miserrimus
Afflictionem narrat, implorans opem.

CARM. GEN. 22.

LVce voco te, nocte voco te, sola salutis
Spes, columen vitæ præsidiumq; meæ.
Alme parens, facilem ne vultum auerte precanti,
Néue humiles dura respue mente preces.
Mens hebetata malis torpet, confecta dolore
Funereas spectat languida vita faces.
Membra vigor liquit: mors vnguibus imminet atris,
De tumulo tantum iam mihi cura meo est.
Corpora non aliter pallent sub mole sepulcri,
Vulnere quæ subitò mors inopina tulit:

Perpe-

Perpetuis quæ sub tenebris obliuia condunt
Alta, salutiferam te retrahente manum.
Carcere ceu clausum, & cæca sub nocte sepultum
Me propè lethæa gurgite mergis aquæ.
Vsque premis, stratumq́ vrges, supraq́ iacentem
Accumulas iræ fulmina cuncta tuæ.
Me veluti scopulum fugiunt horrentq́ sodales,
Quos portum afflictæ spes erat esse rati.
Affixusq́ toro iaceo, ceu compede vinctus:
Languida cesserunt lumina victa malis.
Interea lassas tendens ad sydera palmas,
Te, veniente die, te, fugiente voco.
Scilicet expectas vt acerba morte perempto
Ostentes vires me reuocando tuas.
An rediuiua tuas in laudes ora resoluent
Quos gelido tellus claudit auara sinu?
An tua sub tumuli bonitas cantabitur antro?
Vulgabúntue tuam muta sepulchra fidem?
Iustitiámne tuam taciturna silentia pandent?
An referent vires nox tenebræq́ tuas?
Ast ego, sancte parens, supplex tua numina clamo:
Nec precibus vacua est hora locúsue meis.
Sancte parens, animæ auxilium cur subtrahis ægræ?
Cur surda miseras respuis aure preces?
Me dolor & primis labor anxius vrit ab annis:
Me trepidi exanimant corde micante metus.
Me furor exagitat tuus, opprimit vndique terror
Agmen vt hybernæ quod sata mergit aquæ:

AEger inops charis iaceo desertus amicis:
Nec noti ærumnis ingemuere meis.

PSAL. LXXXIX. Misericordias Domini in æternum cantabo: &c.

ARGVMENTVM.

Vates Hebræus hoc canit poëmate
Benignitatem numinis
Omnem in bonum, & promissa facta Dauidi
Summo à parente cœlitum
Simul querens, quòd ciuitatem barbara
A gente diruì suam
Permiserit, celsi & potestatem ducis
Euerti, & aulas ciuium.

CARM. GEN. I.

TV mihi carmen eris, rerũ pater optime, semper:
Notaq; erit populis bonitas me vate futuris,
Pollicitiq; immota fides, dum sydera mundo
Voluentur tacito. citius quoq; sydera credam
In chaos antiquum lapso se condere mundo,
Irrita quàm sacri credam fore fœdera pacti.
His concæpta tuo quondam cum Dauide verbis
Dum mare, dum tellus staret, dum sydera cœli,
Dauidici generis mansuram in sæcula prolem,
Et stabilem regni ventura in tempora sedem.
Te pater ætherei cœtus, te iure piorum
Sæcla hominũ celebrant, patrantẽ ingentia mundo
Mirante, & stabilis ius inuiolabile pacti

Seruan-

Seruantem, quem terra tibi, quem conseret æther
Magne parens? quem sydereis tremit omnis Olympi
Cætus, & attoniti submissa mente tyranni.
Armorum belliq; potens, quocunque moueris,
Alma fides clara circum te luce refulget.
Tu maris irati furias compescis, & vndæ
Deijcis insanæ tumidos ad sydera fluctus.
Tu Pharon elatam lethali vulnere sternis,
Et quicunque tuis miserum caput obijcit armis.
Te, terræ cœliq; opifex: quæcunque capaci
Complexu facies mundi reuolubilis ambit,
Authorem agnoscunt: Aquilo tibi seruit & Auster:
Thabor & Occiduum qui condit vertice solem,
Quiq; rubet radijs Hermon tepefactus Eöis,
Lætitia exultant. validæ tu robore dextræ
Clara per immensum spargis miracula mundum.
Ante tuum solium tibi iustum apparet & æquum:
Ante oculos adstat bonitas, & nescia flecti
Promissi syncera fides. O terq; quaterq;
Felices quos festarum clangore tubarum
Ad tua sacra vocas: quos sacri lumine vultus
Illustras, hilaresq; tui sub nominis vmbra
Custodis: bonitate tua super æthera vectis
Das vires, decus, imperium, das impia contra
Agmina, ceu clypeum, per dura pericula regem,
Tu tibi dilectum secreto numine vatem
Implesti, vt sæclis daret hæc responsa futuris:
Ipse mihi legi media de plebe meoq;

Imposui

Imposui regem solio, qui protegat armis
Isacidas, populoq; meo qui iura ministret:
Dauidis & sacro perfudi tempora oliuo.
Huic animum viresq; dabo, præsensq; tuebor
Perpetuò, ne fraude scelus, ne robur apertè
Exitium ferat. ipse hostes, ipse impia sternet
Agmina: nulla meam vertet sententia mentem.
Auxiliumq; feram bonus, & super ætheris axem
Nominis auspicio nostri se gloria tollet.
Iura dabit terris rapido quas gurgite claudit
Hinc mare Sidonio fœcundum murice, & illinc
Palmifer Euphrates. supplex me in vota vocabit
Ille patrem. Deus ille meus tu, (dicet) & vnum
Præsidium, vna meæ custodia certa salutis.
Hunc ego præcipuo contra dignabor honore,
Supra aliosq; dabo rerum moderamina reges
Quicunque immensum populis dant iura per orbem
Nec meus absistet fauor illi in sæcla, nec illi
Iurata æterni soluentur fœdera pacti.
Quin sobolem, & sobolis seros in cuncta nepotes
Sæcla dabo, & stabilis sceptrum immutabile regni,
Donec ab obscuris lucem sol diuidet vmbris.
Quòd si posteritas mea fœdera sancta profanet
Immemor, & legem spernat, iussamq; recuset
Ire viam, domitos pœnis duroq; labore
Compescam, & plagis vsque exercebo rebelles.
At neque destituam regem bonitate perenni,
Fœdera nec soluam, nec quod semel ore profudi,

Vlla

Vlla immutabit venturi temporis ætas.
Quippe semel sancto firmaui fœdere, iurans
Per me, Nulla dies iniit cum Dauide pacti
Immemorem arguerit. soboles, dum sæcula mundus
Voluet, ei patrij sceptri moderamen habebit.
Esto mi sol testis ad hæc, & conscia luna,
Cum quibus æquæuum sceptrum Iudæa tenebit.
At nunc, sancte parens, tumida inflammatus ab ira,
Proijcis electum regem: rata fœdera pacti
Negligis, & capiti sacrum diadema reuulsum
Sternis humi, & populis præbes calcare profanis.
Nuda patent hosti disiectis oppida muris:
Si qua manet, gelida formidine concutis arcem.
Cunctis præda sumus populis: rapiuntq; feruntq;
Vicini, insultantq; malis, miserosq; proteruis
Vocibus illudunt. hostis tu robore dextram
Interea firmas, perfundis pectora dulci
Lætitia, ac gladios hebetas in vulnera nostros:
Nec recreas fractos duro in discrimine belli.
Iam decus & regni splendor, iam proxima cœlo
Maiestas versa in tenebras, soluq; superbi
Gloria strata iacet. breuis immatura iuuentæ
Stamina præcidis: miseræ pars vltima vitæ
In luctu, in squalore ignominiaq; senescit.
Quem finem dabis ærumnis? nunquámne tuorum
Respicies clades vultu placatus amico?
An, ceu flamma furens, semper tua sæuiet ira?
Ipse memor tecum reputa quam concita nostra

Tempora

Tempora prætereant vitæ frustra ergo crearis
Humani generis sobolem? vt breuis exigat æui
Tempora, perpetuò curarum exercita fluctu?
Dum fractam luctu & morbis, senióue, sepulchri
Clauserit obscuro mors illacrymabilis antro.
Heu bonitas vbi prisca? fides vbi pristina? vbi illa
Fœdera conceptis quondam cum Dauide verbis
Facta tibi? cerne opprobrijs quibus impia seruos
Turba tuos præmat insultans: quam multa silenti
Clausa sinu maledicta feram, dum turba profana,
Dum circum innumeræ gentes conuitia fundunt,
Nosq; tui Christi verbis petulanter amaris
Aduentum sperare iubent. At tu bone rerum
Conditor, æterno verax celebraberis æuo.

GEOR-

GEORGII BVCHANANI

PARAPHRASIS, IN IIII. *librum Psalmorum.*

PSAL. XC. Domine refugium factus es nobis in generatione, &c.

ARGVMENTVM.

Describit humanæ modum vitæ breuem,
Implorat auxilium Dei, vt qui sæculis
Alijs opem genti suæ ferebat,
Ornabat illam maximis donis, ita
Nunc subleuet, defendat oppressam, & tegat.

CARM. GEN. 5.

CAElitum rector bone, abusque primis
Sæculis, mundi rudis & iuuenta
Qui laborantes ope subleuasti
Semper amicos:
Antequam tellus noua parturiret
Montium saltus, tegeretq; montes
Lucidus cœli decor, ante metas
Lucis & vmbræ:
Tu manes idem pater orbis, vnus
Nec vices rerum patiens, nec æui
Termino clausus breuis: vnus expers
Finis & ortus.
At breuis nobis miseræq; vitæ
Fila

Fila paulatim tenuas, senecta
Donec in putrem cinerem caducos
Soluerit artus.
Tempus annorum tibi mille, lucis
Instar hesternæ, fluidiq; puncti,
Nulla decursus quod vbi recessit,
Signa relinquit.
Nostra vanescit tenues in auras
Vita, per siccas velut vnda arenas
Aut velut sensus per opaca ludens
Noctis imagō.
Herba ceu verno saturata rore
Manè, mox languet medio sub æstu;
Mox humi comis iacet arefactis
Vespere serō.
Prater & vitæ mala tot fugacis,
Quæ voluptates vitiant amarō,
Ira turbatis tua semper instans
Pectora vexat.
Quicquid erramus temerè aut malignè,
Quæ timor celat tenebris pudorúe,
Tu vides, nec te latet inquieti
Pectoris æstus.
Dum tui pœnas meritas furoris
Mens reformidat, propè cogitatu
Ocyus vitæ spatium citatis
Aufugit alis.
Septies denōs spatiosa in annos

Vita

Vita procurrit: quibus est senecta
Firmior, fermè in decimum supersunt
Amplius annum.
Quid senectutis memorem labores?
Transuolat blanda breue ver iuuentæ,
Inquies curis miseriq; morbis,
Ocyus Euro.
Deinde quis iustæ tolerabit iræ
Impetum, si iam iubeas nocentes
Pro modo offensæ numeroq; iustas
Pendere pœnas?
Sic pater, sic ô numerare fluxæ
Nos doce vitæ spacium, caducis
Mens vt à curis reuocata, veri
Lumen honesti
Cernat. O tandem, placidus fauensq;
Desine irarum, propiusq; seruis
Semper assueta tibi lenitate
Consule sessis.
Fac tuæ fructu bonitatis aucti,
Gaudio tandem satiemur: ægris
Liberi vt curis reliquos agamus
Suauiter annos.
Cedat & lætis fugiens vicissim
Luctus, exacto modus & labori
Par voluptatis subiens amarum
Mitiget æuum.
Facta, maiestas, opera, amplitudo

Nota sint seruis tua, posteriq́;
Nota seruorum, tua qui libenter
Iussa capessunt.
Fac tuæ semper bonitatis vt nos
Splendor illustret, bone rector orbis:
Gratiæ aspirans fauor actiones
Prosperet omnes.

PSAL. XCI. *Qui habitat in adiutorio altissimi, &c.*

ARGVMENTVM.

Securitatem rex eorum concinit,
Qui cogitationem & omnem spem suam
In cœlitum patris locant clementia.

CARM. GEN. 6.

SI protegendam præsidio Dei
Credas salutem, rem, sobolem, domum,
Insana quum sors intonabit,
Si Domini fugias sub vmbram,
Securus omnem fer violentiam
Sortisq́; mortisq́;, & tetricas minas
Contemne, securus tumultum
Despicias creperi duelli:
E fraude cæca te Deus eximet,
Frangetq́; casses insidiantium.
Nec sæuiens latè venenum
Lethiferæ patiêre pestis:
Expandet alas te super, & suis

Pennis

Pennis fouebit rebus in asperis:
Certusq; promissæ salutis
Sub clypei latitabis vmbra.
Noctis per atræ cæca silentia
Non expauesces cæca pericula:
Non luce grassantem timebis
Perniciem, nec aperta bella:
Interq; strages mille cadauerum,
Dextra, sinistra, mille cadauerum,
Periculorum exors, propinquam
Incolumis fugies ruinam.
Pœnam luentes interea malos
Lætus videbis præsidio Dei
Securus armorum & tumultus,
Ceu validis te gerere muris.
Nec te, nec ædes vis propius tuas,
Aut damna tangent. Nam Deus Angelos
Custodiæ tuæ salutis
Præficiet, vigilesq; ad omnes
Motus, viarum qui referent moras:
Qui per salebras te manibus ferant,
Ne saucietur per recussus
Obijcibus scopulorum acutis.
Securus atras inter & aspides
Deges, ferarum & pignora tigridum:
Tutusq; calcabis dracones,
Et Libycæ catulos leænæ.
Obseruat, inquit, me, Deus, vnicè, &

Honore nomen prosequitur meum:
Laboriosis hunc vicissim
Incolumem eripiam periclis.
Præsens vocanti subsidium feram,
Et imminenti rebus in asperis
Fato eximam: exemptoq; honorum
Eximium decus arrogabo.
Faxo virenti robore transigat
Seræ senectæ tempora suauiter:
Meosq; monstrabo beare
Qua soleam ratione amicos.

PSAL. XCII. Bonum est confiteri Domino, & psallere, &c.

ARGVMENTVM.

Hoc rex Hebræorum pius poêmate
Festis diebus edocet
Consideranda facta, studiaque ipsius
Dei efferenda laudibus.

CARM. GEN. 3.

TE prædicare, laudibus te prosequi,
Rex alme cœlitum, decet:
Seu sol Eöa luce terras purpuret,
Seu nox tenebris obruat.
Lux prædicantem me tuam clementiam,
Nox audiet constantiam:
Nec voce tantum, sed canora barbito,
Sed cymbalo, sed nablio.

Operum

Operum tuorum tacita cogitatio
Animum iacentem exuſcitat.
Quum facta reputo, geſtiunt præcordia
Perfuſa dulci gaudio.
O opera, facta, ô verè magna, ô ſub caua
Conſilia nube condita:
Conſilia cæcis mentibus mortalium
Ignota: qui non cogitant
Florere prauos inſtar herbæ, quam fouet
Sol lenis, humor educat:
Mox inſtar herbæ frigorum afflatu leui
Marcentis euaneſcere.
Tu ſemper idem permanes, nec ſentiens
Rerum vices nec temporum:
Sceleris amicos ac tuos hoſtes premet
Ruina ineuitabilis:
At me fouebis patria indulgentia,
Crudo vigentem robore:
Et rore mitis balſami vultum imbues,
Roſeo iuuentæ lumine.
Oculis malignis qui tuentur me hoſtium
Paſcam ruinis lumina
Et impiorum qui creant moleſtiam
Mihi, lætus excidium audiam.
Ceu palma, iuſtus germinabit interim,
Aut Cedrus in Libani iugo,
Quam non procellæ, non calor, non frigora
Honorè nudant frondium.

Quæ planta firmis hæserit radicibus
In æde Domini aut atriis,
Se flore amœno frondibusq; vestiet:
Fluxiq; lapsu temporis
AEgrè senectæ damna nulla sentiet,
Onerata largis fructibus,
Vt nota cunctis gentibus sit æquitas
Domini potentis. qui meæ
Arx est salutis vna, qui nunquam malæ
Affinis est iniuriæ.

PSAL. XCIII. *Dominus regnauit, decorem indutus est, &c.*

ARGVMENTVM.

Summum Deum canit, polos qui & omnia
Creauit, humanasque sapientissimè
Res temperat, gregemque sanctorum virûm
Ab hostibus tuetur immanissimis.

CARM. GEN. 2.

IAm Dominus rerũ imperium suscepit, amictus
Decore multo & dignitate: robore
Iam sese accinxit: Dominus, qui mœnia mundi
Firmauit, vllo non mouenda sæculo.
Cuius ab æterno solium est immobile regni,
Vt ipse, nullas temporum metuens vices.
Flumina præcipites voluant quũ murmure fluctus
Et æquor vndis æstuet minacibus,

Cons-

Compescit Dominus grauidis turgentia nimbis
Flumina, minacis sternit vndas æquoris.
Stat fixum & cunctis manet inuariabile sæclis
Quodcunque Dominus ore sancto protulit.
Quæq; edem exornant Domini sacra mystica, nullæ
Obliuionis damna seræ sentient.

PSAL. XCIIII. *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit, &c.*

ARGVMENTVM.

In impium, Deique prouidentiam
Negantem, & omnes hîc bonos sæuissimè
Viros prementem inuehitur, oppressos quoque
Solatur hoc dulci poëta carmine.

CARM. GEN. 14.

O Fraudis vltor, sceleris ô vindex Deus,
Ostende numen impios contra tuum.
O iuste iudex orbis expergiscere,
Meritisq; pœnis reprime arrogantiam.
Quousque tandem, rector orbis optime,
Sese superbè iactitabunt impij?
Deuota sceleri factio in scelere suo
Plaudit, sibiq; fabulis stultis placet:
Tuumq; populum pedibus interim premunt,
Tuam proteruè hæreditatem proterunt.
Viduam trucidant aduenamq;, & omnibus
Parente cassos obruunt molestijs:
Secumq; mussant, Hæc Deus non aspicit,

Nec fanda prorsus & nefanda intelligit.
Gens ergo bruta penitus ignorantia
Obsessa pectus somnolentum, discute
Animi veternum, & cogita tecum, Deus
Qui fecit aurem, surdus est? qui luminum
Formauit orbes, ipse nihil videt? vagas
Sine lege gentes recta qui sequi docet,
Non is suorum puniet scelera, quibus
Oracla legum sacrosancta credidit?
Arcana nostri pectoris nouit Deus,
Consilia vana, spes inanes, turbidos
AEstus. Beatus ille demum quem parens
Erudit amore patrio, legis suæ
Cui scita monstrat. rebus in duris aget
Securus æuum, dum paratur impio
Nassa, in lacunam incogitantem quæ trahat.
Hæreditatem nec Dominus vnquam suam
Ope destitutam negliget, nec impys
Prædæ relinquet. sed tribunal iudicum
Ad æquitatis diriget normam suæ:
Vitamq; ad illam dirigent boni suam.
Contra scelestos quis mihi auxilium feret?
Mecum impiorum quis premet superbiam?
Nam iam sepulchri frigidus sub frigido
Cumulo iacerem, nisi Dominus opem mihi
Præsens tulisset, & sua clementia
Firmasset animum, & iam vacillantem gradum
Fulcisset: & me penè submersum malis

Solatus

Solatus esset, anxiaq; nubibus
Curæ remotis reddidisset gaudium.
Mecum loquebar, Quid scelestis cum Deo
Commune? scelera legis vmbra qui sua
Tegunt, bonorum fraudulenta qui in caput
Concilia coëunt: factione innoxium
Premunt, iniquisq; obruunt sententijs.
At rector orbis me tuebitur, meæ
Custos salutis, arx meæ fiduciæ,
Pro scelere prauis digna reddet præmia:
Suis & ipsos artibus pessundabit
Rerum creator Dominus, ac noster Deus.

PSAL. XCV. Venite exultemus Domino, iubilemus Deo, &c.

ARGVMENTVM.

Gentem suam hortatur Deum ad sanctissimè Colendum, ab impietate deterrens eam.

CARM. GEN. 2.

Ela alacres cuncti Domini celebremus honores:
Salute parta Domino agamus gratias.
Eia alacres rapiamus iter, mora segnis abesto:
Dominum canora personemus barbito.
Magnus enim Dominus Deus est: Rex magnus & or- (bis
Longè vniuersis est Deis potentior.
Ille manu fulcit vastæ penetralia terræ,
Et nube cincta montium fastigia.
Ille vagum secitq;, & factum temperat æquor,
Terramq; salsis innatantem fluctibus.

Eia igitur genibus flexis manibusq; supinis,
Dominoq; nostro supplicemus & patri.
Noster enim Deus est, nos grex illius: ab vno
Pendemus illo, spiritumq; ducimus:
Si modò non lentam verbis damus illius aurem,
Nec respuamus monita pertinaciter:
Nec, velut ad Meribam, me rixis, inquit, acerbis
Et arroganti prouocetis murmure:
Aut, Arabum veluti quondam per inhospita saxa
Vires rebelli voce tentetis meas:
Quum proaui vestri me explorauere, meamq;
Didicêre factis plurimis potentiam.
Illa quater denis mihi natio restitit annis:
Dixiq; semper interim, Hæc gens desipit,
Et mea securas transmittit dicta per aures.
Ira ergo iusta in pertinaces concitus
Iuraui, Terræ gens hæc ingrata beatæ,
Promissa amicis commoda haud carpet meis.

PSAL. XCVI. Cantate Domino canticum nouum, &c.

ARGVMENTVM.

Et præcinit Christi Dei regnum omnibus,
Et suadet, vt veri parentis cœlitum
Cultum Dei amplectantur: atque negligant
Fictos Deos, & sacra eorum inania.

CARM. GEN. 10.

NON vsitato pangite
Orbis parentem carmine,

Orbis

Orbis coloni, incognitis
Abusque terræ finibus,
Cantate Dominum, laudibus
Nomen beatum tollite,
Et mente grata agnoscite
Vestræ salutis vindicem.
Sol quà recurrit audiant
Gentes Dei potentiam,
Stuporq́ dulci gaudio
Perfusa oberret pectora.
Nanque vnus est verè Deus
Cunctisq́ maior laudibus
Et Dijs timendus cæteris,
Quos horret error credulus.
Vesana gentes cætera
Pro Dijs colunt ludibria:
Dominus potenti dexterâ
Cœlum solumq́ condidit.
Apparet illi dignitas,
Auctoritas, potentia:
Eiusq́ templa syderum
Fulgore lucent gloriâ.
Tribuite Domino gentium
Terras colentum sæcula,
Tribuite regi cœlitum
Et robur & potentiam.
Tribuite magnitudinem
Tanto decoram numini:

Augu-

Augusta templi ad atria
Adferte prompti munera.
Adeste, pompam adducite,
Et supplices procumbite:
Omnesq́, rerum termini
Deum tremant & diligant.
Narrate cunctis gentibus
Regnare Dominum, qui ligat
Orbem catena immobili, &
AEquis gubernat legibus.
Lætetur æther, gestiat
Tellus, fretum præ gaudio
Exultet, & quicquid freti
Salsas lacunas incolit.
Campi virescant auij,
Se culta fruge vestiant,
Arrideantq́, floribus
Sylua, & grauentur fructibus.
Natura rerum gestiens,
Cunctos per artus sentiat
Dei sui præsentiam,
Et prompta iussis pareat.
Ius namque veniet dicere,
A vi suos vt asserat,
Mundumq́, iustis legibus
Et veritate temperet.

PSAL.

PSAL. XCVII. *Dominus regnauit, exultet terra, &c.*

ARGVMENTVM.

Idem canit regnum, omniumque gentium
Conuersionem ad sacra veri numinis.

CARM. GEN. 2.

IPse sui Dominus regni moderatur habenas:
Lætare tellus continens, & insulæ
Quas vagus Oceanus refluis complectitur vndis
Cuicunque cœli subiacetis cardini.
Hunc circum vmbriferæ nubis prætexit amictus
Pallensq; multa fusca nox caligine.
Apparent fæmulæ iuxtà, firmantq; tribunal
Seueritasq; dura, mitisq; æquitas.
Ante volant sæuûm rutilantes fulminis ignes,
Hostesq; flammis obruunt sequacibus.
Fulguribusq; micat latè flagrantibus æther:
Attonita tellus intremiscit: montium
Saxa fluunt, rapido ceu cera liquescit ab igne, Virg: Ecloga
A sempiterni pauida vultu numinis.
Terra sui à vultu Domini tremefacta liquescit
Et æquitatem templa cœli prædicant.
Et quicunque habitant terras vbicunq; remotas
Nouere numen & Dei præsentiam.
Illis ora pudor turpis confundat, inanes
Quicunq; mentis stipites pro Dijs colunt:
Dumq; sacris placant picti ludibria trunci,
Se gloriantur impio in scelere pios.

Quicquid

Quicquid vbique Dei ſub nomine credulus error
Honorat, vnum adoret, vnum diligat.
Læta Sion tenebras errorum cernet abactas:
Iudæa dulci delibuta gaudio,
Sacrilega aſpiciet vani ſacraria ritus
Euerſa, pœnas luere meritas impios.
Nam procul aſtriferi trans ignea mœnia mundi
Tu fræna rerum iuſtus arbiter tenes.
Teq; Deos infra longè premis altior omnes,
Tuq; obumbras numinis faſtigio.
Ergo Deum quicunque pio complectere amore
A ſcelere mentem contine puram & manum.
Nam Domino cordi eſt pietas, vitamq; bonorum
A vi tuetur impiæ tyrannidis.
Et lætum offundit lumen cultoribus æqui,
Et pura ſceleris corda recreat gaudio.
Vos quibus eſt cordi reuerentia iuris & æqui,
Gaudete, Domini ſpe fauoris ac opis
Securi: gratoq; Deum ſuper æthera cantu
Sanctumq; nomen eius vſque tollite.

PSAL. XCVIII. Cantate Domino canticum, &c.

ARGVMENTVM.

Cantus quæ fuit eſt eadem modò ſumma prioris.

CARM. GEN. 10.

NON vſitato carmine
Rerum parentem pangite,
Virtute qui victoriam

Non

Non vsitata rettulit:
Sua ipse solus dextera,
Externæ opis nil indigus,
Nos liberando, posteris
Miranda gessit sæculis.
Sensere gentes impia
Bello Dei potentiam:
Pœnas luendo, iudicem
Sensere iustum & vindicem.
Promissa soluit optima
Fide Isaci nepotibus,
Partæ salutis testibus,
Totius orbis incolis.
Huic ergo læti psallite
Totius orbis incolæ:
Hunc ferte in astra laudibus
Lætis, tubæ & clangoribus.
Laudate Dominum barbito
Neruisq; carmen iungite:
Lenisq; tibiæ modis
Adsit sonora buccina.
Testetur æquor gaudium,
Et quicquid æquor occulit:
Orbisq; terræ gestiat,
Et quicquid orbis educat.
Exultet vnda fluminum,
Leni susurrans murmure:
Montesq; læti plausibus

Deum

Deum venire gaudeant.
En ipse Dominus aduenit,
Cunctis vt orbis incolis
Det æqua iustus præmia,
Et facta plectat impia.

PSAL. XCIX. *Dominus regnauit, irascantur populi, &c.*

ARGVMENTVM.

Hic prædicat rectum Dei, & clementiam,
Omnesque adhortatur Dei ad cultum bonos.

CARM. GEN. 13.

IAm regnum Dominus, spirituum pijs
Qui dat iura choris, suscipit: impijs
Horror terrificet pectora gentibus.
Tellurem quatiat tremor.
Nec tantùm Solymæ vim Dominus sui
Fecit conspicuam numinis, & suæ
Maiestatis opes cernere finibus
Terrarum dedit vltimis.
Ergo te meritis tollat honoribus,
Augustum celebret gens hominum tuum
Nomen, qui salubri temperie modum
Sceptris constituas tuis.
Selectæ soboli qui populi tui
Ius nullis dederis mobile sæculis:
Frænas iustitiæ qui moderamine
AEquali genus Isaci.

Subli-

Sublimem Dominum laudibus & Deum,
Solus qui liquido regnat æthere,
Ferte, & scamna pedum (sanctus enim Deus
Est noster) veneramini.
Huic Moses & Aron & Samuel bonus
Docti legitimis tingere victimis
Aras, consilium quum peterent, data
Sæpe oracla petentibus.
De pila tereti nubis eis dabat
Responsa ambiguis sollicito metu,
Legum quòd monitus pactaq; fœdera
Seruassent stabili fide.
Aurem supplicibus tu facilem dabas,
O rerum genitor maxime & optime,
Indulgensq; bonis, & scelerum simul
Vindex durus in impios.
Sublimem Dominum tollite laudibus,
Solus qui liquido regnat in æthere: &
Montem quo colitur (sanctus enim Deus
Est noster) veneramini.

PSAL. C. Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino, &c.

ARGVMENTVM.

Hortatur omnes, & Hebræos maximè
Ad actionem gratiarum, & laudibus
Deum ferendum qui creat nos, & regit.

CARM. GEN. 23.

ORbis omnes incolæ

A sole Eōo ad Hesperum
Iubilate, & optimo
Rerum parenti plaudite
Mente læta, & ritibus
Seruite puris numini.
Gestientes gaudio
Adite sancta limina.
Ille noster est Deus,
Noster parens & conditor.
Non enim nos finximus
Ipsi, sed illius sumus,
Qui leui de puluere
Alit creatos & regit.
Ad fores ergo illius
Adite læti: gratias
Agite: festis laudibus
Benignitatem pangite.
Prædicate cæteris
Nomen beatum gentibus:
Nam benignitas Dei,
Et in suos clementia,
Clausa nullo est termino:
Et firma stat pactis fides
Posterorum posteris
In sempiterna sæcula.

PSAL.

PSAL. CI. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine, &c.*

ARGVMENTVM.

Describit officia Optimatum, & omnium Vates pius mortalium.

CARM. GEN. 5.

TE salus rerum cano, qui precanti
Lenis irarum es, facilisq; flecti,
Impiorum idem tetricus rebelles
Frangere fastus.
Huc meæ vires vigilant, labores
Huc ferent omnes, opis in tuæ spem
Semper vt castis domus institutis
Culta nitescat.
Si salutarem mihi tu serenus
Porrigis dextram, tibi corde puro
Seruiam, fraudum sceleriq; pura
Seruiet aula.
Nec mihi exemplum statuam sequendum,
Litibus si quis miseros iniquis
Vexet, aut causam tenuis clientis
Prodidit hosti.
Sponte qui prauis studijs inhæret,
Sit procul: sæui sceleris minister
Candidos nunquam mihi censeatur
Inter amicos.
Quisquis incautum lacerat sodalem,

Clam venenatò iaculatus ictu,
Persequar, plectam penitusq́, ab ima
Stirpe reuellam.

Nec meæ mensæ dapibus fruetur
Mentis elatæ tumor, arrogansq́,
Vultus, & cunctos veluti minores
Lumine spernens.

Veritas simplex quibus est amori,
Hos amo, amplector, video libenter:
His mihi seros socijs senectus
Impleat annos.

Integer vitæ mihi sit minister:
Tecta non intret mea fraudulentus:
Nemo mecum intra mea commoretur
Limina mendax.

Impios longè (mora nulla) terræ
Finibus pellam: procul omne monstrum
Ciuitas sancta vt Domini releget
Flagitiorum.

PSAL. CII. *Domine exaudi orationem meam: &c.*

ARGVMENTVM.

Iudæa gens deplorat hoc poëmate
Et seruitutem, & seruitutis plurima
Incommoda, atque barbaram inclementiam
Et præcinit reditum suum, atque amplissimum
Christi

Christi Dei regnum, omniumque gentium
Conuersionem ad sacra veri numinis.

CARM. GEN. 13.

EXaudi genitor sancte meas preces,
Clamorisq; sonum percipe lugubris:
Neu vultum misero subtrahe, cladibus.
Omni ex parte prementibus.
Aures supplicijs nunc adhibe meis:
Da votis facilem te, pater optime,
Et presso celerem porrige dexteram,
Et præsenti ope subleua.
Ceu fumi nebulæ tempora transuolant,
Vt lentis coquitur torris ab ignibus,
Paulatim tacitus sic dolor aridis
Humorem ebibit artibus.
Dum luctu crucio me dapis immemor,
Vt secta è viridi gramina cespite
Arescunt nimio torrida sole, cor
Exuccum mihi tabuit.
Crebrò sic remeans spiritus ilia
Tendit, sic gemitus pectora concutit
Mœstus continuò, tabida vti cutis
Iam vix hæreat oßibus.
Vt saltus habitans cuculus auios,
Aut tectis latitans noctua dirutis,
Aut turtur viduus, solus, inops, dies
Et noctes vigiles gemo:
Dum ceu ludibrium rideor improbis,

Irrisumq́, petunt fraude nefaria,
Nec panis cinere est gratior arido, &
Potum tempero fletibus.
Istis ira malis me cumulat tua,
Qui me sustuleras ex humili loco.
Sublimi grauius rursus vt è gradu
Tractum præcipitem dares.
Vt sero in tenebras vmbra crepusculo
Vanescit, celeres deproperant dies
In mortem, veluti sub medio die
Fœnum, corpus inaruit.
At te perpetuis sæcula sæculis
Nectentem, volucris non fuga temporis
Carpit, nec memorem nominis obruet
Famam posteritas tui.
Tandem surge pater, tecta Sionia
Iam lenis placido respice lumine.
Iam pleno redeunt tempora circulo,
Promissumq́, ferunt diem.
Iam serui lapides respiciunt tui
Disiectos faciles, sparsaq́, rudera,
Incultiq́, soli iam miserabilem
Versa mente dolent vicem.
Vt vertat populos terror in exteros,
Vt nomen Domini sit celebre omnibus
Et numen, trifidum quà colitur solum,
Formidabile regibus:
Versam restituet quum Solymam, suæ

Maie-

Maiestatis opes quum dabit aspici:
Lugentum miseris quum querimonijs
Flectet se & prece supplice.
Scribentur tabulis ista fidelibus,
Seris vt Domini nota nepotibus
Sit laus, nec senium prodita posteris
Norit gloria sæculis.
De sanctis adytis ætheriæ domus,
Templi sepositis de penetralibus,
Cœlestis Dominum non piguit soli
Curas respicere ad leues.
Nexorum vt gemitus audiat, & neci
Addictos tetricæ compede liberet:
Laudes vt Solymæ templa Deo sonent,
Et nomen recinat Sion
In cœtu celebri. Tum procul vltimis
Terrarum populi finibus exciti
Illuc sacra ferent, & Domino dabunt
Reges munera supplices.
Quamuis in medio curriculo meum
Robur comminuit, destituit manum,
Atque æui spacijs tempora lubrici
Contraxit breuioribus:
Clamabo tamen, O mi Deus vnice
In vitæ medio ne stadio breuem
Cursum siste rotæ, quantulum ad vltimam
Iam metam superest mihi?
Te nunquam breuibus clausa recursibus

Astrorum, senio confictet dies:
Tu terræ stabilis mole, volucribus
Tu cœli prior ignibus.
Illis interitus stant sua tempora:
Tu nullo interitum tempore senties.
Annorum series cætera deterit,
Vt vestris teritur vetus,
Vt detrita nouis pallia vestibus
Permutat locuples: sic abit & redit
Et mutat facies imperio tuo
Mundi Dædala machina.
At tu, qui fueras, semper es atque eris:
In te ipsoq́ habitas: nec varias vices
Decurso patiens tempore, permanes
Metæ sæcula nescia.
Sed serui soboles & sobolis tui
Serui posteritas per seriem tuis
Tecum perpetuis æmula sæculis,
AEui tempora transigent.

PSAL. CIII. Benedic anima mea Domino: & omnia, &c.

ARGVMENTVM.

Clementiam Dei hîc in humanum genus
Celebrat, atque agere patri grates docet.

CARM. GEN. 5.

SIT parens rerum mihi carmen: illum
Vox canat, sensus petat, & remotis
Quisquis

Quisquis est fibris vigor, & sacratum
Nomen honoret.
Mens Deo laudes cane, redde grates
Mens Deo: nullis benefacta sæclis
Excidant, & quæ tribuit benigna
Munera dextra.
Qui scelus tollit maculosum, & ægros
Sanat angores, animoq; vires
Reddit, & vitæ properante fato
Prorogat annos.
Qui manu larga tibi plura donat
Ore quàm poscas animo vel optes:
Seruat & in morem aquilæ, virentem
Flore iuuentam.
Integer iudex, scelerumq; vindex,
Tradidit sancto sua iura Mosi:
Isaci prolem docuit piarum
Dogmata legum.
Lenis & blandus, dare dona largus,
Tardus irasci: neque sempiternæ
Sæuit offensæ memor, aut perennes
Ardet in iras.
Nec modus pœnæ numerúsue nostris
AEquus est culpis: bonitas redundat
Latiùs terræ plaga quàm remoto
Distat Olympo:
Tam procul nostri maculas remouit
Criminis: quàm se procul à cubili

Gaditano sol oriens Eöis
Exerit vndis.
Qualis in natos placidi parentis
Lenitas, talis Domini benigni est,
Quisquis illius pietate vera
Nomen adorat.
Tu sinus mentis penitus repostos,
Tu pater nosti penetrale cordis:
Quippe nos terræ memor è rubenti
Puluere factos.
Herba ceu lactens pueri venustas,
Prodit, occultoq; adolescit æuo,
Donec vt fœnum cadat arefactum
Falce senecta.
Instar aut floris Tyrio comantis
Murice, vt vultu modicè sereno
Risit, afflatu tepidi repentè
Concidit Austri.
Sed Dei æterna bonitate in æuum
Tutus æternum, remanet piorum
Cœtus, & longa serie propago
Sera nepotum:
Si nec æternas violabit icti
Fœderis leges, memoriq; iussa
Mente seruarit, referatq; vita
Puriter acta.
Ille flammantis super alta cœli
Culmina immotum solium locauit,
Et suo

Et suo nutu facilè vniuersam
Temperat orbem.
Angeli iussis Domini ministri,
Sub iugum ius est quibus & potestas
Cuncta cogendi, Domino Deoq;
Pangite laudes.
Quiq; castrorum comites meretis
Sub ducis tanti imperio, audientes
Sedulò dictis, Domino Deoq;
Pangite laudes.
Quaeq; per vastos vbicunque fines
Imperi pollens opifex creauit,
Plaudite, auctori Domino Deoq;
Pangite laudes.
Mens Deo grates cane: redde grates
Mens Deo: hunc sensus petat, & remotis
Quisquis est fibris vigor, & beatum
Nomen honoret.

PSAL. CIIII. *Benedic anima mea Domino, &c.*

ARGVMENTVM.

Hoc vim poêta cantico summi patris
Summam, decorem, & pulchritudinem canit
Horum omnium, dignatus est quæ condere.

CARM. GEN. I.

TE rerũ Deus alme canam Dominumq; patrẽq;
Magne parens sancta quã maiestate verendus,
AEtheris æternas rector moliris habenas.
Te de-

Te decor, auratis ambit te gloria pennis,
Et circumfusum vestit pro tegmine lumen.
Tù tibi pro velo nitidi tentoria cœli
Et liquidas curuo suspendis fornice lymphas:
Et leuibus ventorum alis per inania vectus,
Frænas ceu celeres volitantia nubila currus.
Apparent accinctæ auræ flammæq; ministræ,
Vt iussa accipiant. Stat nullo mobilis æuo
Terra, super solidæ nitens fundamina molis,
Pollenti stabilita manu. terra obruta quondam
Fluctibus, vt fuso super ardua culmina velo:
Sed simul increpuit tua vox, tonitruq; tremendo
Insonuêre auræ, paulatim ascendere montes
Cernere erat sensimq; cauas subsidere valles:
Inq; cauas valles trepidas decurrere lymphas.
Neue iterum immissa tellus stagnaret ab vnda,
Limitibus compressa suis resonantia plangit
Littora, præscriptas metuens transcendere metas.
Tum liquidi fontes imis de collibus augent
Flumina, per virides vndas voluentia campos,
Vnde sitim sedent pecudes quæ pinguia tondent
Pascua. quiq; feris Onager saxa inuia syluis
Incolit hîc leuibus quæ tranant aëra pennis,
Per virides passim ramos sua tecta volucres
Concelebrant, mulcentq; vagis loca sola querelis.
Tu pater aërios montes camposq; iacentes
Nectare cœlesti saturas, fœcundaq; rerum
Semina vitales in luminis elicis auras:

Vnde

Vnde pecus carpat viridis noua pabula fœni:
Vnde olus humanos geniale assurgat in vsus:
Quaq̃ nouent fessas cerealia munera vires:
Quaq̃ hilarent mentes iucundi pocula vini,
Quiq̃ hilaret vultus succus viridantis Oliui.
Nec minus arboribus succi genitabilis humor
Sufficitur. Cedro Libanum frondente coronas,
Altibus nidos. abies tibi consita surgit,
Nutrit vbi implumes peregrina ciconia fœtus
Tu timidis montes damis: caua saxa dedisti,
Tutus vt abstrusis habitaret Echinus in antris.
Tu lunæ incertos vultus per tempora certa
Circumagis puroq̃ accensum lumine solem
Ducis ad occiduas constanti tramite metas:
Inde superfusis cuncta inuoluentibus vmbris,
Per tacitas spargis nocturna silentia terras.
Tum fera prorepit latebris, siluisq̃ relictis
Prædator vacuis errare leunculus aruis
Audet, & è cœlo mugitu pabula rauco
Te patrem exposcit: dein rursus sole renato
Abditur occultis prædatrix turba cauernis:
Inq̃ vicem subeunt hominumq̃ bouumq̃ labores,
Donec sera rubens accendat lumina vesper.
Sic pater in cunctos didis te prouidus vsus.
Nec tantùm tellus, genitor, tua munera sentit,
Tu varijs fœcunda bonis: sed & æquora ponti
Fluctibus immensas circumplectentia terras,
Tam laxo spatiosa sinu: tot millia gentis

Squami-

Squamigera tremula per stagna liquentia cauda
Exultant: tot monstra ingentia & horrida visu
Veliferas circum nant puppes: grandia cete
Effingunt molles vitreo sub marmore lusus.
Atque adeò quæ terra aruis, quæ fluctibus æquor
Educat, à te vno pendent, pater optime, teq;
Quæq; suo proprium poscunt in tempore victum.
Te magnam pandente manum, saturantur abundè
Omnia: te rursus vultum condente satiscunt.
Te tollente animam, subitò exanimata recurrunt
In cinerem: inspirante animam te denuò, surgit
Illico fœcundæ sobolis generosa propago,
Et desolatas gens incolit aurea terras.
Sic eat, ô nullo regnet cum fine per æuum
Maiestas diuina: suumq; in sæcula lætus
Seruet opus Deus, ille Deus quo territa tellus
Concutiente tremit, montes tangente vaporant,
Fumifera trepidum nebula testante pauorem.
Hunc ego, dum viuam, dum spiritus hos reget artus,
Vsque colam: tantùm ille meas facilisq; bonusq;
Accipiat voces: nempe illo oblector in vno.
At verò impietas planè extirpetur ab ima
Radice, & scelerum stirps nulla repullulet: ac nos
Te rerum Deus alme patrem Dominumq; canemus.

PSAL. CV. Confitemini Domino, & inuo. &c.

ARGVMENTVM.

Vates Hebræum hortatur ad præconia
Laudum

Laudum patris cœlestium, studia ipsius
Gentem in suam salutis ingratam canens.

CARM. GEN. 24.

CAnite Dominum, & inuocate
Nomen eius: exteris
Facta gentibus per orbem
Prædicate illustria.
Ille sermo, carmen ille,
Illius miracula,
Nomen eius, numen eius,
Vna nobis gloria.
Hunc amantum & hunc petentum
Palpitet cor gaudio.
Robur eius, pignus eius
Sacrosanctum roboris
Petite: vultum eius beatum
Continenter quærite.
Subeat animum quanta nostris
Edidit maioribus
Signa, quæ portenta: legum
Scita quæ reliquerit:
Vos Abrami, vos Iacobi
Posteri, serui Dei
Separati, sorte lecta
Natio, vos alloquor.
Ille rerum rector vnus,
Orbis vnus arbiter,
Facta nostris firma seruat

Pacta

Squamigera tremula per stagna liquentia cauda
Exultant: tot monstra ingentia & horrida visu
Veliferas circum nant puppes: grandia cete
Effingunt molles vitreo sub marmore lusus.
Atque adeò quæ terra aruis, quæ fluctibus æquor
Educat, à te vno pendent, pater optime, teq;
Quæq; suo proprium poscunt in tempore victum.
Te magnam pandente manum, saturantur abundè
Omnia: te rursus vultum condente satiscunt.
Te tollente animam, subitò exanimata recurrunt
In cinerem: inspirante animam te denuò, surgit
Illico fœcundæ sobolis generosa propago,
Et desolatas gens incolit aurea terras.
Sic eat, ô nullo regnet cum fine per æuum
Maiestas diuina: suumq; in sæcula lætus
Seruet opus Deus, ille Deus quo territa tellus
Concutiente tremit, montes tangente vaporant,
Fumifera trepidum nebula testante pauorem.
Hunc ego, dum viuam, dum spiritus hos reget artus,
Vsque colam: tantùm ille meas facilisq; bonusq;
Accipiat voces: nempe illo oblector in vno.
At verò impietas planè extirpetur ab ima
Radice, & scelerum stirps nulla repullulet: ac nos
Te rerum Deus alme patrem Dominumq; canemus.

PSAL. CV. Confitemini Domino, & inuo. &c.

ARGVMENTVM.

Vates Hebræum hortatur ad præconia
Laudum

Laudum patris cœlestium, studia ipsius
Gentem in suam salutis ingratam canens.

CARM. GEN. 24.

CAnite Dominum, & inuocate
Nomen eius: exteris
Facta gentibus per orbem
Prædicate illustria.
Ille sermo, carmen ille,
Illius miracula,
Nomen eius, numen eius,
Vna nobis gloria.
Hunc amantum & hunc petentum
Palpitet cor gaudio.
Robur eius, pignus eius
Sacrosanctum roboris
Petite: vultum eius beatum
Continenter quærite.
Subeat animum quanta nostris
Edidit maioribus
Signa, quæ portenta: legum
Scita quæ reliquerit:
Vos Abrami, vos Iacobi
Posteri, serui Dei
Separati, sorte lecta
Natio, vos alloquor.
Ille rerum rector vnus,
Orbis vnus arbiter,
Facta nostris firma seruat

Pacta

Pacta cum parentibus.
Verba meminit: mille sancta in
Sæcla nectit fœdera,
Icta primitus cum Abramo,
Deinde iurata Isaco:
Isaci sancita nato,
Lege non mutabili:
Posterisq; sempiterno
Roborata vinculo:
Quum tibi Chananæa (dixit)
Arua sorte diuidam.
Turba numero parua quamuis
Aduena illic degeret,
Aucta nondum stirpe longis
Temporum decursibus,
Regna quanquam & nationes
Exul errans verteret,
Hanc tamen Dei benigna
Fouit indulgentia:
Vimq; duram præpotenti
Dextra ab illis arcuit:
Et minis reges molestos
Tetricis compescuit.
Ne mihi (inquit) consecratos,
Ne mihi vnctos tangite:
A meis, moneo, Prophetis
Abstinete iniuriam.
Quum famem voracem in orbem

Contu-

Contumacem induceret,
Gentibusq; alimenta latè,
Noxijs subduceret,
Præuium misit ministrum
Nili ad arua fertilis.
Filium pulchræ ~~Rachelis~~ Loseph.
Mango turpis vendidit:
Carceris latuit tenebris,
Crura vinctus compede,
Somnij donec soluti
Nota regi veritas,
Crura ferro liberauit,
Soluit animum crimine:
Et noua sortis benignæ
Iam vicissitudine,
Regiorum seruulorum
Seruus antè ignobilis,
Fræna rerum tractat vnus:
Nuper è custodia
Missus, aulæ purpuratos
Nunc coërcet vinculis:
Et senum iuuenis seueræ
Præsidet prudentiæ.
Isaci tandem propago
Arua linquens patria,
Pinguis ad ~~fluenta Nili~~
Castra fixit aduena.
Ac Deo fauente, læta

Stirpe sic resloruit,
Viribus breui vt præiret
Inquilinus incolas.
Tum Phari rector superba
Mente versa Abramidas
Fraude molitus nefanda
Stirpitus reuellere:
Circulo donec voluto
Destinati temporis,
Legifer cum fratre Moses
Missus est diuinitus,
At Pharon Phariq; regem
Terruit miraculis.
Ergo natura, imperantis
Non rebellis iussibus,
Vestit polum tenebris,
Et solum caligine
Condidit, ceu nocte cæca
Sole iusso cedere.
Vnda decolor cruoris
Tabe riuos polluit,
Squameaq; strage turba
Inquinauit littora.
Terra felix antè frugum,
More nunc præpostero,
Turpibus fœcunda ranis
Squalet: ipsa regia
Fœta ranis, ipsa regum

Fœta

Fœta erant cubilia:
Musca deinde nube densa
Fusa Memphin occulit
Cyniphôn cruenta passim
Obuolabant agmina.
Instar imbrium ruebat
Mista flamma grandini,
Arbores nudans comantes
Flore, fronde, fructibus.
Quod reliquit atra grando,
Mox locusta perdidit:
Bruchus abstulit, locustas
Quod voraces fugerat.
Tot malis subinde sæuis
Icta Nili regia,
Quum ferox non mitigaret
Contumaces spiritus,
Dira populum mox in ipsum
Versa pœna sæuijt.
Prima pignorum repentè
Perpenates omnium
Occidere: cuncta planctu,
Cuncta luctu personant.
Rege tandem pertinace
Cladibus perterrito,
Sancta Memphin gens reliquit,
Iam tyranno libera,
Diues auro argenteisq;

Barbarorum poculis.
Nec tot inter millia vllum
Languor attentauerat.
Ergo Nili iam pauore
Exoluta regia,
Voce, vultu, plausibusq́;
Præferebat gaudium.
At parens memor benignus
Gentis electæ sibi,
Persiticulosæ arenæ
AEquor æstu imperuium
Castra nubis texit vmbra,
Luce: noctem luridam
Ignium latè corusco
Temperauit lumine.
Arua, victum quum rogarent,
Texit imber alitum:
Panis impluit per auras
More densæ grandinis:
Petra iussa fudit vndas:
Deq́; rupis viscere
Antè sicca solitudo
Flumen hausit. Scilicet
Fœderis parens benignus
Immemor nunquam sui,
Quod sibi charo cum Abramo
Omne in æuum fecerat.
Sic parentum stirps piorum,

Tuta ductu numinis,
Arua liquit fraudulentæ,
Perfidi Pelusij:
Et ferarum nationum
Occupatis oppidis,
Tradidit Deus impiorum
Iis labores carpere:
Sanctiones vt tenerent
Sacrosancti fœderis.
Et piarum ad iussa legum
Facta cuncta fingerent.
Laus, honor, decusq; Regi
Sempiterno cœlitum.

PSAL. CVI. *Confitemini Domino, quoniam bonus, &c.*

ARGVMENTVM.

Iudæa gens quæ seruitutem seruiens
A barbaro truci premebatur, canit
Commissa maiorum suorum, & numinis
Studia in patres, sibi Deum obsecrans opem.

CARM. GEN. 14.

LAudate Regem cœlitum, Regem bonum,
Suisq; nullo non benignum tempore.
Quis facta verbis æquet? eloquentia
Quis assequetur illius potentiam?
O ter beatus æqui amantes, & tuæ
Præscripta legis qui tuentur iugiter!

Memento nostri facilis & fauens, tuum
Prospicere populum qua soles clementia:
Et me reuise lenis salutifer.
Vt separati tibi bonis populi fruar,
Capamq; lætus quo fruuntur gaudio,
Hæreditatiq; comes applaudam tuæ.
Scelesta proles cum scelestis patribus
In te rebelles multa iniqua fecimus:
Abominanda, dira perpetrauimus.
Nam nec tyranni AEgyptij ex ergastulo
Nostri parentes liberi per te, tua
Ostenta grauiter ponderarunt, nec tuæ
Meminêre gratis mentibus clementiæ:
Sed propter vndas æquoris rubri, duces
Aduersus animis turba contumacibus
Obmurmurauit. At parens malis bonus
Pœnas remittis, vt tuam clementiam
Agnoscat orbis, & tremat potentiam.
Nam comminanti cessit vnda fluctuum:
Suspensa moles hinc & inde per sali
Tranquilli arenas aridam dedit viam,
Ceu solida campis figerent vestigia:
Donec tyranno liberati & hostium
Crudelitate, tuta tuti littora
Tenuere. at hostes vorticoso gurgite
Absorpsit vnda, cladis vt nec nuntius
Superesset. Illic tum salutis compotes
Fidemq; verbis præbuere, & cantibus

Cecinere

Cecinere festis numinis potentiam.
Metu repulso, protinus lasciuia
Animos rebelles perculit: nec amplius
Meminere signa nec pericla pristina:
Repentè praua perciti libidine
Arsere, verbis & Deum procacibus
Iræ impulerunt fræna iustæ soluere:
Ac flagitatos impiè dedit cibos,
Iustisq; pœnis impios coërcuit.
Nec pœna mentes nec benignitas feras
Mollire potuit, quin procaciter ducem
Ducisq; fratrem peteret æmulatio,
Et freta studijs semper ambitio malis.
Sed factiosos terra vasto condidit
Sinu dehiscens, flammeiq; gurgitis
Torrens vorago deuorauit impios.
Nec noxiorum monita tot pœnis modum
Gens praua sceleri fecit. Horebi in iugo
(Proh facinus!) ante imaginem bouis Dei
Imago sese strauit, & fronde saturi
Simulachra tauri coluit instar numinis.
Partæ salutis nuper ingrata, immemor
Miraculorum in vrbibus Niloticis,
Et fluctu eodem sospites se, subrutos
Hostes superbos vorticosis æstibus.
Ergo scelestos ira iusta perdere
Ibat, furenti ni Deo charum caput
Pro gente Moses obtulisset, & prece

Frænasset iras. Nec tamen turbæ furor
Illic quieuit. expetitum tam diu
Vber feracis spreuit agri: nec fidem
Mosi docenti, pollicenti nec Deo
Habuit: tumultu castra complens respuit
Imperia: donec ille munificus parens,
Delere promptus inter inuia montium
Toties rebelles, extulit dextram, & genus
Per nationes impias disperdere
Iam destinarat: ante sculpta numina
Iterum proterui procidêre, & mortuis
Dijs thura, lectasq; immolarunt hostias:
Deum sceleribus prouocauerunt nouis,
Iramq; rursum exasperarunt vindicem:
Iusta incitatus donec ira Phineas
Ferro scelestam punijt licentiam.
Et sæuientem dexteram compescuit
Domini, sibiq; peperit æternum decus,
Quod nulla sileant posterorum sæcula.
Nec contumaces supplicia tot spiritus
Coërcuerunt, Meribæ ad vndas quin Dei
Rursus furorem accenderent: nec publico
Moses furore liber etiam incredulæ
Oratione vertit iram numinis
In se. Potiti deinde pactis finibus,
Nec impiarum semen omne gentium
Disperdiderunt funditus, nec iussibus
Rectè monentis paruerunt numinis:

Sed

Sed se profanis miscuere gentibus,
Didicere ritus, seruiere ludicris
Dijs: ac eorum mancipati cultibus,
Tenuere puras à scelere nullo manus.
Quippe immolarunt filios ac filias
Ad dæmonum aras: & suæ propaginis
Tinxere sculptos sanguine innocuo Deos,
Terramq; sanctam polluerunt cædibus.
In scelera proni abominanda, dum suæ
Manus adorant opera, patrium Deum
Iustas ad iras prouocarunt, vt suam
Hæreditatem abominatus impijs
In seruitutem manciparet hostibus:
Quorum seuero penè contriti iugo,
Posuere sæuam spiritus ferociam:
Ac liberati sæpe Domino vindice,
Rursus rebelles spiritus in vindicem
Sumpsere: rursus ob scelera pœnas suæ
Dedere. mitis nec Dei bonitas tamen
In rebus arctis innocentium à prece
Auertit aurem: fœderis memor sui
Pœnas remisit lenis & placabilis.
Quin & superba corda gentis barbaræ
Cui seruiebant diruta iam patria,
Leniuit animos omnium vt perstringeret
Imago sortis flebilis vel hostibus.
Tu nos tuere Domine noster & Deus,
Et è profanis gentibus recollige:

Vt te canamus, nomen vt sanctum tuum
Celebremus vnum: populus omnis vt simul
Dicat, Deo quem posteri Abrami colunt,
Sit laus, honorq; in sæculorum sæcula.
Amen, amen.

GEORGII BVCHANANI

PARAPHRASIS, IN V. librum Psalmorum.

PSAL. CVII. *Cantate Domino, quoniam bonus, &c.*

ARGVMENTVM.

Hoc prouidentiam Dei poëmate
Vates canit, clementiamque numinis
Summamque iustitiam, in poli throno quibus
Afflictum, & æquor nauigantem, & denique
Omnes regit terras, & humanum genus.

CARM. GEN. I.

CAntemus Dominumq; bonũ, facilẽq; parentẽ,
Cuius habet nullas larga indulgentia metas.
Hunc grato simul ore canant quos dira tyrannis
Quum premeret, sæuo incolumes ex hoste recepit.
Et iuga captiuo excußit seruilia collo.
Perq; foras gentes sparsos, quà surgit ab vndis
Et quà diuersas abiens se condit in vndas
Phœbus.

Phœbus, ab arctoa campis glacialibus vrsæ
Collegit, tepidoq; domum reuocauit ab Austro.
Per sterriles saltus & inhospita saxa vagantes,
Quà nulla ad cultas ducunt vestigia terras,
Fracti animos mœrore, inopes vndæq; cibiq;
Auxilium miseris implorauere querelis:
Audijt orantes, & opis miseratus egenos,
Omnibus exoluit mœrentia pectora curis,
Monstrauitq; viam cultas quæ ferret ad vrbes.
Ergo canant Dominumq; bonũ, facilemq; parentem,
Et latè ignotis pandant facta inclyta terris:
Quippe sitim victuq; famem compescuit ægram,
Reddidit & membris vires animoq; vigorem:
Quiq; Dei monitis ingrata mente relictis,
Carceris in tenebris & cæca nocte iacebant.
Quum tremerent gelidæ exanimes formidine mortis
Afflictiq; malis humiles fractiq; iacerent,
Auxilium miseris implorauêre querelis:
Audijt orantes, & opis miseratus egenos,
Omnibus exoluit mœrentia pectora curis.
Vincla manu valida rupit, mortisq; timorem
Reppulit, & tetris pauidos eduxit ab vmbris.
Ergo canant Dominumq; bonũ, facilemq; parentẽ,
Et latè ignotis pandant facta inclyta terris,
Liminaq; & portæ qui claustra refregit ahenæ.
Delitijs animi vires quum stulta libido
Affligit, corpusq; graui languore solutum
Stultitiæ pendit pœnas. & morte propinqua
Reijciunt

Reijciunt omnem fastidia marcida victum,
Auxilium miseris qui implorauere querelis:
Aspicit orantes, & opis miseratus egenos,
Omnibus exoluit mœrentia pectora curis.
Ereptisq; suo læti de limine verbo,
Restituit, lætumq; nouat per membra vigorem:
Ergo canant Dominumq; bonum facilemq; parentẽ,
Et latè ignotis pandant facta inclyta terris:
Et meritis cumulent memores altaria donis,
Et grata acceptam testentur voce salutem:
Qui mare fluctisonum sulcat, curuisq; carinis
Admouet externas vaga per commercia gentes
Non ignota illi diuina potentia, nec quæ
Monstrat in immenso miracula sæpe profundo.
Quum iubet, irrumpunt venti stridente procella:
Et mare nunc spumis candentibus astra laceßit,
Et nunc tartarei subsidit ad ima Barathri.
Pallent ora, metus trepidantia pectora pulsat,
Et velut oppreßis vino vestigia mutant.
Callida nec cani iuuat ars aut cura magistri:
At Dominum vt mœstis implorauere querelis,
Exaudit trepidos, & opis miseratur egenos.
Iam venti ponunt, stratæq; æqualiter vnda.
Arrident taciti tranquilla silentia ponti.
Iam posita læti gaudent formidine nautæ.
Ergo canant Dominumq; bonum facilemq; parentẽ,
Et latè ignotis pandant facta inclyta terris.
Hunc populi cœtus laudent, sanctiq; senatus

Conci-

Concilium ſuper aſtra ferat, qui flumina ſiccat,
Et riguos paßim riuis bullantibus agros,
Fontibus occluſis ſitienti damnat arena:
Et fœcunda, ſui facta ob ſcelerata coloni,
Arua iubet ſalſis ſubitò ſterileſcere glebis.
At contrà in ſterili campo malè pinguis arena
Stare lacus, pingueſq; facit ſtagnare paludes:
Et fluuijs ſiccos riuisq; fugacibus agros
Irrigat, atque inopi tranſmittit habere colono:
Quiq; nouas ſanctis moderetur legibus vrbes,
Et ſcrobibus credat vites, & ſemina ſulcis,
Vnde legat dulces maturo in tempore fructus,
Quos pater omnipotens alit, & prouentibus auget
Aßiduis pecorum fœtus. Vbi neſcia rurſus
Commoda fortunæ modicè mens ferre ſecunda,
Fræna dedit vitijs, retrahit ſua munera iuſtus
Arbiter: indomitos animos & corda ſuperba
Cladibus affligit: ſæuis punire tyrannis
Tradit, & ignauo petulans ſub principe vulgus
Contemptum, populis prædam iubet eſſe propinquis.
Peraq; inopes victus terras traducit, vbi antè
Nulla hominum tritam monſtrant veſtigia callem.
Auertit mala pauperibusq;, animiq; modeſtis,
Atque hilares multa fœcundat prole penates.
Hæc ſpectant gaudentq; boni: malè conſcia muſſat
Turba metu. Aſt animi quibus eſt ſolertia, cura
Aßidua voluunt, memoriq; hæc mente recondunt,
Luceat vt cunctis Domini clementia terris.

PSAL.

PSAL. CVIII. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, &c.*

ARGVMENTVM.

Grates agit ſummo patri, quòd ipſius
Ope, & manu potitus optatiſsimo
Sit regno, iniquo Saule cæſo à Barbaris.

CARM. GEN. 2.

MEns infracta malis, animi vigor integer, orbis
Te voce, rector, te celebrabit lyra.
Eia age, depoſitis mens expergiſcere curis:
Et tu canora barbitos cum nablijs.
Ocyus auroræ quam Luciſer excitet ignes,
Aurora cantus quàm volucrum exuſcitet,
Te pater alme canam: populos tua facta per omnes
Quacunque tellus panditur, vates feram.
Nam tua ſyderei bonitas faſtigia cœli,
Fideſq; tractus nubium ſuperuolat.
O Deus auguſtum nitido caput exere cœlo:
Oſtende terris gloriæ iubar tuæ.
Eripiasq; tuos gelidi formidine lati
Præſens, & opifer inuocantes audias.
Audijt ex adytoq; Deus flammantis Olympi,
Vocem rependit gaudij prænunciam.
En tibi frugiferos Sichimæ diſpertiar agros:
Vallem Sucothi metiar decempeda.
Nonne mihi parent Iacobi pignora, quiſquis
Vel pecore tondet arua, vel vomere ſecat?
Oppida ſub pedibus Syriæ calcabo ſuperba,

Moa-

Moabum, Idumen, & Palæstinas domos.
Quis mihi pandet iter munitas ductor ad arces?
Muros Idumes diuitis quis diruet?
Quis nisi tu nostræ gentis Deus vnice tutor?
Qui nos premendos hostibus reliqueras,
Offensus vitijs prauis: nec in arma ruentes,
Nostros præibas dux, vt antè, exercitus.
Nunc pater auxilium rebus bonus adser in arctis.
Humana fallax credulos spes decipit:
Te duce, victrici decorati tempora lauro,
Pedibus prememus hostis arrogantiam.

PSAL. CIX. Deus laudem meam ne tacueris, quia, &c.

ARGVMENTVM.

Hic in Doêgum inuehitur, atque cæteros
Sontes: sub istorumque persona impium
Et factum Iudæ proditoris filij
Dei, malorumque omnium inclementia
Damnatur. hinc dolet suis incommodijs
Gemens, & implorat Dei clementiam.

CARM. GEN. 2.

NE sileas, ne dissimula mea gloria, néue
Sine veritatem supprimi mendacio:
Me scelerati oris fraus, & crudele venenum,
Proterua fictis lingua me premit dolis.
In me odia occultis acuunt sermonibus iras,
Et immerenti fabricant molestiam.
Qui mihi debebant fidum solamen amici,

Probra

Probra ingerebant clanculum & conuitia.
Aſt ego ſecreta, tibi, qui penetralia mentis
Cernis, dolente corde fundebam preces.
Omnibus officijs culti mihi damna rependunt,
Remunerantur odio amorem ſimplicem.
Tu pater hunc ſæuo vaſtandum trade tyranno:
Vaſtator illi ad dexteram aſtet Angelus.
Iudicis aſtiterit quum ſordidus ante tribunal,
Damnatus aſperis exeat ſententijs.
Quum volet iratos animos inflectere fando,
Oratione iudices exaſperet.
Ante diem fato pereat præreptus acerbo:
Locumq; vacuum dominus occupet nouus:
Orba fleat ſoboles: vidua gemat vxor in aula:
Eiecta proles patrio exulet ſolo:
Inſtabilis, mendica, vagis erroribus orbem
Luſtret: quietum reperiat nuſquam locum.
Conturbetq; domum miſeram, inſcribatq; penates.
Scrutatus omnes fœnerator arculas.
Ignotusq; hæres longo congeſta labore
Rapiat, opemq; nemo poſcenti ferat:
Nullaq; progeniem miſeratio ſubleuet orbam,
Mors falce totam demetat ſemel domum:
Proxima gentem omnem cum nomine deleat ætas,
Apudq; Dominum, patris erratum, vt recens:
Ante oculos interq; manus verſetur & erret:
Nec vitia matris tollat vlla obliuio.
Vtq; erat oblitus miſerandi, obliuio gentem

Eius

Eius perenni supprimat silentio:
Qui deiectum, inopem, & curis mordacibus ægrum
Pertrahere mortis nixus est in retia.
Semper ei veluti fuerat maledictio cordi,
Maledicta in illum & execratio cadent.
Ac veluti studio fugit benedicere prauo,
Sic nullus illi cupiat aut dicat benè.
Nam velut obtegitur talari corpus amictu,
Maledictione totus ille est obsitus:
Sic illi in cunctis affunditur intestinis
Vt oleum in ossa penetrat, vnda in viscerá.
Hoc ergo incedat semper vestitus amictu:
Hæc zona lumbos cingat illi & ilia.
Ante Deum tales pendat detractio pœnas,
Et clam salutem quisquis oppugnat meam
Alme pater, pater alme, tua me protege dextrá
Et inuidorum libera calumniis:
Vt nomen latus omne tuum telluris honoret,
Et suauitatem sentiat clementiæ.
Eripe me inuidiæ: sum pauper, egenus & expes:
Animumq́, curæ turbidum vrunt anxiæ.
Non aliter pereo, species quàm futilis vmbræ,
Pallent tenebris sera quum crepuscula.
Aut vbi decußis solerti indagine ramis,
Locusta tectis pulsa frondeis cadit.
Genua labant infirma: artus ieiunia soluunt:
Exangue siccis corpus aret oßibus,
Me tumidi probris hostes petiere superbis:

Me conspicati capita quassarunt sua.
Adfer opem, seruumq̃ tuum pater optime, seruæ
Pro lenitate semper assueta tibi.
Agnoscantq̃ tuam, rerum pater optime, dextram:
Tuaq̃ saluum me sciant clementia.
Dum maledicta voment hostes, dũ probra loquentur
Bonusq̃ placidusq̃ benedices tu mihi.
Dum confusa illis turpis pudor ora notabit,
Lætitia serui pectus hilarabit tui.
Hos pudor, vt talos à vertice vestis ad imos
Effusa latè corpus omne contegit,
Hos pudor, & mœrens turbato infamia vultu,
Qui me maligno dente rodunt, obruat,
Ast ego tum Domino grates memor ore sonabo,
Cœtuq̃ laudes in celebri concinam,
Qui stetit auxilio dexter cum paupere, vitamq̃
Eripuit eius hostium ludibrio.

PSAL. CX. *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, &c.*

ARGVMENTVM.

Prolis Dei de ortu, & nece, & iugi throno
Et de sacerdotio etiam hymno hoc præcinit.

CARM. GEN. 3.

SIC alloquutus Dominus est Dominum meum,
Aßide dexteram ad meam,
Dum proterendos, ceu scabellum, sub pedes
Hostes tibi prouoluero.

Ad

Ad orbis oras vltimas fasces tuos
Alta ab Sione proferam:
Vt iuris æqui vinculis coërceas
Fastus rebelles hostium.
Te pompa lætis quum reducet plausibus
Ad templa voti compotem,
Sancto decorus apparatu exercitus
Lætum celebrabit diem.
Non roris imber ante lucem argenteus
Sic vestit arua gemmeo
Decore, vt omnes gentium fines tui
Beabit ortus nuncius.
Iurauit & se adstrinxit immutabili
Dominus sacramento tibi,
Tete futurum Melchisedecis sibi
Ritu sacrorum antistitem,
Sol inquieto lucis orbe dum diem,
Dum luna noctem illuminet.
Ad dexteram ille semper assistet tuam:
Ferro tyrannos vindice
Compescet: iram commodans suam tibi
Gentes rebelles comprimet.
Ducemq; regnis imperantem ditibus
Sternet solo: torrentibus
Latè per arua sanguinis riuis sitim
Victor leuabit igneam.
Ergo subactis hostibus, cœlo caput
Tollet decorum gloria.

PSAL. CXI. *Confitebor tibi Domine in tôtô corde meo, &c.*

ARGVMENTVM.

Hic præcinit sapientiam, & clementiam
Ingentem in Hebræos patris cœlestium.

CARM. GEN. 4.

Siue inter fidos tractem secreta sodales,
Seu sancti stipante caterua
Me populi loquar, alme parens, te pectore toto
Vsque canam: tua munera grato
Ore feram. magna æternæ miracula dextræ:
Magna quidem, sed & inclyta certè,
Et manifesta bonis, studio scrutante fideli.
Quicquid enim gerit, omnia splendor,
Omnia diuina maiestas luce refulgens
Illustrat. dum sydera terras
Ignea lustrabunt, hunc iustum semper & æquum
Sera agnoscent sæcla nepotum,
Nec quæ primæui quondam stupuêre parentes
Attoniti, mirandaq́, natis,
Inuida delebunt obliuia: parcere largus
Nempe parens, facilisq́, querelis
Flectere cor miseris: spolijs ex hoste superbo
Direptis decorauit amicos.
Nec cum gente sua percussi fœderis illum
Immemorem vlla redarguet ætas.
Ostenditq́, suas per facta illustria vires,

Quum

Quum populatus regna superba,
Dimensus q̃ nouis hostilia rura colonis,
Dilectæ dedit oppida genti.
Quicquid agit loquitur q̃, fides immobilis actus
AEqui & regula dirigit omnes.
Quæ iubet, æqua iubet, nullo q̃ interlita suco,
Aut tacitam cælantia fraudem,
Quæ q̃ nec æterno voluentia sæcula lapsu
Interimant, aut tempore carpant,
Quippe astans fidei infractæ constantia & æquum
Perpetuò rata iussa tuentur.
Quum premeret Pharij imperium crudele tyranni
Selecta de gente nepotes,
Excussit q̃ iugum, & regis fera iussa superbi
Exuit: æternaq̃ beatis
Libertate frui donarat, pignora sera
Si iurata parentibus olim
Intemerata piæ seruassent fœdera Legis:
Fœdera nullis irrita sæclis.
Quippe Dei sanctum est & formidabile nomen,
Ac sanctè sua pacta tuetur:
Exigit & duras violato fœdere pœnas.
Hunc colere ex animo q̃ vereri
Viuendi recte fons & sapientia prima est.
Hanc cunctos qui dirigit actus
Ad metam, verè sapit: hunc ventura nepotum
Semper dicent sæcla beatum.

PSAL. CXII. *Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius, &c.*

ARGVMENTVM.

Exponit his quàm sint beati, qui colunt
Deum patrem. ac benignitatem numinis
Pro viribus sectantur, & clementiam.

CAMR. GEN. 3.

Beatus ille qui Deum rerum patrem
Pietate non ficta colit:
Deiq; gaudet legibus: mores suos
Formare ad illas nititur.
Latè per vrbes diuites potentiam
Eius propago proferet.
Prolem piorum numinis benignitas
Larga beabit dextera.
Res affluenter suppetet semper domi
Illi: nec ætas longior
Obliterabit æquitatis gloriam
Fructumq;. Quum premet malos
Fortuna, sæuo gestiens ludibrio
Mutare summis infima,
Benignitatis tum suæ iustis Deus
Lucem in tenebris offeret.
Clemens bonusq; in omnibus periculis
Stirpem piorum muniet.
Misertus inopis vir bonus, larga manu
Succurret indigentiæ:

Sic

Sic cuncta iusto temperans examine,
Nec verba temerè vt excidant.
Non turbo sortis cuncta quatientis, loco
Mouebit illum, nec dies
Suprema famam condet eius inuida
Obliuij silentio.
Non liuor illum falsa gaudens spargere
Terrebit, aut calumnia:
Bellíue rumor, aut egestas lurida,
Fragorq; lethi proximi:
Sed mente firma prouocat discrimina,
Deoq; solo nititur.
Ceu caua rupes murmurantis æquoris
Spernit minaces impetus:
Sic ille certa interritus fiducia
Sortis procellas sustinet:
Ac sustinebit, dum ruinas hostium
Saluus suorum aspexerit.
Opes volucris instar auræ mobiles
Largitus est egentibus,
Sibi æquitatis gloriam superstitem
Seruauit: orbe gloriam
Viuaciorem, nec senectæ dentibus
AEruginosæ obnoxiam.
Dum laude clarum, req; lautum splendida
Spectabit impius pium,
Curæq; mentem vellicabunt anxiæ,
Succumq; carpent corporis,

Dentem fatigans dente ringetur, lue
Se macerabit tabida.
Dominus malorum vota ridet irrita,
Spes vt modestas promouet.

PSAL. CXIII. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, &c.

ARGVMENTVM.

Hortatur ad Deo canenda carmina
Et prouidentiam eius, & potentiam,
Clementiamque prædicat quàm maximam.

CARM. GEN. 25.

PSallite Dominum pueri, Domini
Nomen festo tollite cantu.
Nomen Domini sit benedictum,
Et sæclorum in sæcula longi
Nulla obliuio sentiat æui.
Primo à carcere solis Eöi
Ad purpureos vsque Occasus,
Omnes Domini nomen adorent,
Qui gentes super arduus omnes
Celsas ætheris incolit arces.
Cuius longè gloria mundi
Trans flammantia mœnia vecta est.
O pietatis nescia veræ
Pectora! ritu sacra nefando
O qui fingitis, ánne Deorum
Quenquam Domino similem nostro

Nostis?

Nostis? quem super ardua cœli
Culmina positum nil latet imæ
Sub caua clausum viscera terræ,
Nil humano procul aspectu
Trans multiplices ætheris orbes:
Inopem terræ qui prostratum
Suscitat, & de puluere egenum
Tollit, vt alto positus solio
Populi primos carpat honores.
Qui maternos sterili fructus
Exoratus donat, & orbos
Læta renouat prole penates.

PSAL. CXIIII. *In exitu Israel de AEgypto, domus Iacob, &c.*

ARGVMENTVM.

Vates canit quàm magnatum miracula
Summus dedit parens, Hebræos cùm à solo
Aegyptio in recepta regna duceret.

CARM. GEN. 22.

QVum domus Isacidũ patrias remearet ad oras,
Barbaraq́ inuisæ linqueret arua Phari,
Ipse Deus Iudam cœlesti numine tutum
Fecit: erat populi signifer ipse sui.
Vidit & attonitas trepidum mare diffidit vndas:
Iordanis refugas in caput egit aquas.
Læta per intonsos salierunt culmina montes,
Vt saturas gestit dux gregis inter oues:
Lætaq́ frondentes mouere cacumina colles,

Agnus vt in pratis luxuriare solet.
Quid mare vidisti solito cur cesseris alueo?
Cur fugis in fontes fluminis vnda tuos?
Cur ita concusso salijstis vertice montes
Vt satur exultat dux gregis inter oues?
Cur ita frondenti salustis vertice colles,
Agnus vt in pratis luxuriare solet?
Nempe Dei trepidum præsentia terruit orbem,
Cui cadit in Solymos victima multa focos.
Qui lapidum venas laticum laxauit in vsum,
Cui fluxit largo flumine dura silex.

PSAL. CXV. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo, &c.

ARGVMENTVM.

Orat Deum, vt defendat Hebræum impijs
A Barbaris, qui inuaserant gentem piam:
Cuncti vt sciant ipsum Deum verum vnicum,
Accæteros fictos Deos mortalibus.

CARM. GEN. 3.

TE magne rector orbis, haud victoriam
Ex hoste sæuo poscimus,
Nos vt per omnes fama gentes differat,
Nec apparatu vt splendido
Per ora vulgi nos triumphus aureo
Curru superbos transferat:
Sed impiarum vt sæcla gentium sciant
Te largum opis cultoribus
Tuis, fideq; semper immutabili

Promissa

Promissa promptum soluere.
Nec fortè rebus insolentes prosperis,
Vbi nunc Deus vester? rogent.
Deus astra noster incolens, mortalium
Nutu suo res temperat.
At impiarum finxit error gentium
Manu Deos inutiles:
Aurum caminis excoquens, aut malleis
Massa è sequaci bracteas
Ducens, figura multiformi ludicra
Affixit aris numina.
Inane vocis os habent: oculos habent,
Orbes inanes luminis.
Naribus odores nec trahunt, nec auribus
Surdis sonores hauriunt:
Palpare manibus non queunt, torpentibus
Nec ingredi vestigijs.
Nec vox anhelis edita è pulmonibus,
Cauo recurrit gutture,
Quicunque tales fingit aut colit Deos,
Dijs ipse similis sit suis.
At tu Iacobi gens, loca fiduciam
Omnem salutis in Deo,
Qui te potenti subleuabit dextera,
Et in periclis proteget.
Et vos Aronis posteri, spem ponite
Omnem salutis in Deo,
Qui vos potenti subleuabit dextera,

Et in

Et in periclis proteget.
Quicunque cultor es Dei, fiduciam
Loca salutis in Deo,
Qui te potenti subleuabit dextera,
Et in periclis proteget:
Qui nos fauore semper amplexus memor
Fouit fouetq; sedulò:
Cunctos Iacobi qui fouebit posteros,
Aronis & sacrum genus.
Qui se colentes siue iuuenes, seu senes,
Fouebit & custodiet,
Qui nosq; donis semper augebit nouis,
Et liberorum liberos.
Nam nos profanis segregauit gentibus,
Cœli soliq; conditor.
Cœlum sibi ipse regiam fecit, solum
Sedem dedit mortalibus.
Remunerantes muneribus illum vt suis
Rerum parentem agnoscerent.
Neque ora laudes in tuas soluent, pater,
Quos mors teget silentio.
Nos te parentem agnoscimus, qui spiritu
Vitalis auræ vescimur.
Te prosequemur laudibus, dum lucido
Sol axe terras ambiet.

PSAL.

PSAL. CXVI. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ, &c.*

ARGVMENTVM.

Cuius benignitate inhumanissimas
Euaserat gentes, agit grates Deo.

CARM. GEN. 16.

Toto pectore diligam
Vnice & Dominum colam,
Qui lenis mihi supplici
Non duram appulit aurem.
Aurem qui mihi supplici
Non duram dedit: hunc ego,
Donec pectora spiritus
Pulset, semper amabo.
Iam mors ante oculos erat,
Iam stabam super aggerem
Busti, iam dolor anxius
Omni ex parte premebat:
Expes tum prece supplice
Oraui Dominum, Pater,
Quæso, inquam, miserabili
Saltem consule vitæ.
O iustum Dominum & bonum,
Et pronum veniæ: auxili
Is me & consilij indigum
Sæuo texit ab hoste.
Ergo mens tibi reddita
Mœrorem cohibe: & Deus

Quæ

Quæ larga tribuit manu
Donis læta fruare.
Vitam è faucibus eruit
Mortis, & lachrymas genis
Absterſit, ſtabili & pede
Firmauit tibi greſſum.
Tutus præſidio Dei
Degam: & polliciti fide
Fretus non dubia, canam
Grato pectore laudes.
Laſſus, rebus & aſperis
Afflictus, trepida fuga
Vitæ proſpiciens meæ,
Sic mecum ipſe loquebar,
Nulli certa homini fides:
At rerum arbiter optimus,
Vnus polliciti tenax,
Vnus fallere neſcit.
Tot liber toties malis,
Tot auctus toties bonis,
Quo tandem officio tibi
Coner ſoluere grates?
Te feſta dape, te prece,
Te libamine proſequar:
Te vitæ columen meæ
Grata voce fatebor:
Te vitæ columen meæ
In cœtu populi tui

Grata

Grata prosequar hostia,
Damnatus tibi voti.
Electos, genitor, tuo
Custos præsidio tegis,
Nec per vim pereuntium
Manes linquis inultos.
Tu seruum Dominus tuum,
Ancillæ sobolem tuæ
Me, minacibus hostium
Vinclis eripuisti.
Te, rerum pater optime,
Semper laudibus efferam:
Nomen in dubijs tuum
Vsurpabo periclis.
Te voti reus, erutus
Morti, prosequar hostia,
Sacri limen ad atrij,
Sacræ redditus vrbi.

PSAL. CXVII. *Laudate Dominum omnes gentes, &c.*

ARGVMENTVM.

Hortatur omnes ad celebrandum patrem.

CARM. GEN. 10.

OMnes vbique gentium
Quos solis ambit orbita,
Rerum parentis optimi
Laudes libenter pangite.
Agnoscite indulgentiam

Benignius

Benignius nos in dies
Fouentis, & constantiam
Promissa certam reddere.

PSAL. CXVIII. Confitemini Domino quoniam bonus, &c.

ARGVMENTVM.

Cantauit hunc hymnum pius rex, cùm hostibus
Victis potestatem acciperet à numine,
Deductus ad templum suæ à frequentia
Gentis, ageretque gratias summo patri.

CARM. GEN. 2.

Eia Deum laudate, Deum facilemq; bonumq;
Larga benignum semper indulgentia.
Eia Dei, soboles Iacobi, dicite laudes,
Larga benignum semper indulgentia.
Eia Deum canat Aronis numerosa propago,
Larga benignum semper indulgentia.
Eia Dei pura cultor pietate, fatere
Larga benignum semper indulgentia.
Audijt orantem Dominus me rebus in arctis,
Ac liberauit illico ex angustijs.
Ille mihi assistat solus, non arma, nec vlla
Humana mi vis adferet formidinem.
Ille mihi auxilio sit solus: lumina damnis
Explebo (nec me decipit spes) hostium.
Tutius à rerum Domino est sperare salutem,
Confidere armis quàm virorum fortium:
Tutius à rerum Domino est sperare salutem,

Confidere

Confidere opibus quàm potentum principum.
In me coniurent populi omni ex parte propinqui,
Dei fauentis conteram cunctos ope:
Circundent omniq́ꝫ premant ex parte licebit.
Dei fauentis conteram cunctos ope:
Circundent omniq́ꝫ premant ex parte licebit
Quam nube densa vere se fundunt apes,
Non secus ac siccas ignis violentia spinas,
Dei fauentis conteram cunctos ope.
Improbe quid frustra labefactum euertere tentas?
Dei potentis sustinet me dextera.
Ille meæ vires: illum mea carmina pangent
Vnum, salutis vnus author est meæ,
Cunctaq́ꝫ iustorum pariter tentoria plaudent:
Meæ salutis pariter authorem Deum
Laudabunt: cantuq́ꝫ ferent ad sydera dextram
Bellipotentem, diuitem victoriæ:
Dextram armis, dextram præstantem robore, de-
(xtram
Bellipotentem, diuitem victoriæ.
Sæua quid insultas mihi mors? tua tela reconde:
Frustra minaci territas me spiculo.
Viuo equidem, viuusq́ꝫ feram super æthera cantu
Raram benigni numinis clementiam.
Iure parens bonus ærumna me afflixit acerba:
At imminentem reppulit mortem tamen.
Pandite pontifices sacri mihi limina templi,
Salute parta vt laude prosequar Deum.

Hæc est illa Deo gratissima ianua, iustis
Votis aperta dehinc futura ianua.
Te meritò, pater alme, canam: tu rebus in arctis
Aurem applicasti supplici placabilem:
Sospes & infesto duce te sum tutus ab hoste.
Et molientum tecta quem reiecerat
Artificum improbitas lapidem, fastigia summi
Latè refulgens iam coronat anguli.
Scilicet arcano factum est hoc numine, nostra
Attonita factum quod stupescunt lumina.
O lux festa, ô lux iucunda ad gaudia nata,
Cœlestis in nos lux fauoris conscia.
Vsque faue, custosq́ tui, pater optime, regis
Sis, & secundos cæpta duc ad exitus.
O felix, iterum ô felix, quem rector Olympi
Populo salutis misit authorem suo.
Nos, quibus est sacri custodia credita templi
Vobis precamur cuncta vertant prosperè.
Vnus enim Dominus rerum moderatur habenas
Qui gratiæ in nos lumen effundit suæ.
Lætitia celebrate diem, fœtusq́ bidentis
Tenellus aræ vinctus astet cornibus.
Te Dominum, te mente colam, te voce fatebor:
Tuumq́ semper laude nomen prosequar.
Eia Deum laudate, Deum facilemq́ bonumq́,
Larga benignum semper indulgentia.

PSAL.

PSAL. CXIX. *Beati immaculati in via, &c.*

ARGVMENTVM.

In quo beata vita, & immortalitas
Sit, maximum quam rem Deum
Oremus hoc Poëta carmine edocet:
Et hoc quidem poëmate,
Quo singula incipiunt Hebræi carmina
Odes superscripta à nota,
Olim pij vatis canora barbitos
Antiquius nil edidit.

CARM. GEN. 27.

Aleph.

O Beatos, qui sequuntur orbitam legis Dei:
O beatos qui monenti sponte parent numini,
Labe puri nec relinquunt lege iussum tramitem,
Quem seueritate dura nos tenere præcipis.
O gradum regas labantem sic, monenti vt paream,
A tuis attenta iußis nusquam vt errent lumina.
Tum ducem canam æquitatis candido te pectore,
Obsequar tibi: obsequentem tu tibi ne desere.

Beth.

Quid iuuentam, ne labascat, seruat æquè ac lex (tua?
Hinc ne aberrem, modò laboro: tu laborantem (rege.

Nec vacillet pes, meo tua verba condo pectore.
Rector orbis, æquitatis regulam tuæ doce
Me, tui oris verba semper ore mediter vt meo:
Illa longè chariora semper auro vt æstimem:
Illa cogitem, illa sector, illa mirer vnicè:
Illa nulla è corde nostro deleant obliuia.

Gimel.

Da tuæ legi obsequenti viuere: vt propius tui
Conspicer pacti æquitatem, pande mentis lumina,
Inquilinum iussa legis ne tuæ celaueris.
Fœderum leges tuorum ægra mens desiderat.
O tuæ legis superbum qui premis fastidium,
Me tuæ legis sequacem vindica: cui diuites
Arroganter obloquuntur, iussa quod seruem tua,
E tuo sermone vitæ quòd capessam formulam.

Daleth.

AEger animus languet: ægrum recrea verbo tuo.
Cordis arcanas latebras prodidi tibi: rudem
Tu doce, præferq; lucem, scita mediter vt tua:
Et cor anxium tui verbi erigas solatio.
Absq; fuco fac tuarum scita legum vt diligam.
Recta sector, instituta specto semper ad tua,
Lex tua animo sculpta inhæret: spem meam ne de-
(sere.
Pande iter tuæ æquitatis: te comes lætus sequar.

He.

Legum iter monstra tuarum: fœdus erudi tuum,
Fœdus vt legemq; totis imbibam præcordijs,

Cuncta

Cuncta vt instituta recta secter vsque semita.
Sordidis auerte curis iussa pectus ad tua:
Flecte lumina, impias ne vanitates hauriant.
Languidum excita: face vt te timeat animus
(ac amet.
Libera probro à pudendo me benignus arbiter:
Et statuta me amantem tua æquitas seruet tua.

Vau.

Me bonus respice opiferq́, sœderis memor tui
Ora claudam vt exprobranti spem tuæ fiduciæ:
Spes salutis, veritatem ab ore ne tuam eripe:
Semper vt tuis statutis audiens, tuto gradu
Ambulem. tua iussa quæro sola: coram regibus
Disseram (nec me pudebit) de tuis sermonibus,
Hos amaui, & hos amabo: & obsequens his, brachia
Tollam: vt vsque & vsque voluam hos ore, mente
(cogitem.

Zain.

Sis memor pacti, columna quæ meæ fiduciæ est:
Quod leuat mœrentem, & ægrum è fauce mortis
(eripit.
Rideant licet superbi, te sequar: legem tuam
Vsque repetam, in rebus arctis hoc erit solatium.
Impios quum legis hostes cerno, totus horreo,
Carmen hæc erit mihi, orbem donec hospes hunc
(colam.
Hanc vt obseruem tenebræ me silentes admonent:
Illa mentem cura semper vnicè exercet meam.

Heth.

Obsequi tibi, mihi vna est spes, opes, hæreditas.
Vt bonus promissa præstes, vnicè vnum id ambio.
Actiones vitæ vt omnes ad tuam componerem
Legem: ad hanc custodiendam qua licet me com-
(paro:
Impeditus impiorum vinculis hanc cogito.
Huius ergo nocte surgens prosequor te laudibus.
Qui verentur hanc, amicis vtor. hanc parens bone,
Qui tua benignitate cuncta reples, edoce.

Teth.

Domine ades, pollicita seruo fac benignè appareant.
In tua lege acquiescam: me doce legem tuam.
Vix malo coacta leges mens sequi didicit tuas.
Scita, fons benigitatis. tua benignè me doce.
Me superbi criminantur: corde toto ego te sequar.
Iussa me iuuant tua, illis mens hebescit prosperis.
Erudisti me malis, vt legi adhæream tuæ,
Hæream vt legi, auri aceruis gratiori ingentibus.

Iod.

Da manu tua creato nosse vim legis tuæ.
Me pij læti obsequentem legibus spectant tuis.
Iusta lex tua est: premis me iure iustus arbiter.
At libenter audientem iussa me tua recrea.
Tibi libenter obsequentem præueni clementia:
Seruulum tuum prementē comprime arrogantiam.
Me tuæ legi obsequentes obsequentem diligant.
Nec ferat tibi obsecundans pura mens infamiam.

Caph.

Caph.

Deficit mens spe salutis, spes nec illam deficit.
Lassa languent lumina: vtris corpus instar aridi.
Tabuit. solare promissi in malis memorem tui.
Quis ferendi finis? hostem quando punies meum?
Mihi tuæ legis superbus hostis effodit scrobem.
AEquæ lex, promissa certa sunt tua: hostes confice,
Qui premunt me quòd te in vno collocem fiduciam.
Scita fac vt ad tua omnes actiones dirigam.

Lamed.

Certa eunt promissa, certa stat tuis verbis fides,
Dum polo stellæ micabunt, herba terras vestiet:
Sempiterno quæ recursu legibus parent tuis.
Obruissent me dolores nt affuisset lex tua,
Lex salubris: nulla nobis tollet hanc obliuio.
Sum tuus, tua instituta diligentes diligo.
Cæteris est finis: illa sola semper permanent.

Mem.

O tuam quam legem amaui semper illam cogito.
Hostibus prudentiorem me meis hæc reddidit.
Factus huic fui obsequendo doctior doctioribus.
Huic quod audiam, senecta astutior sum callida:
Huic vt obsequar, malorum flecto gressum à semitis.
Te docente non recedo paululum à verbis tuis,
Faucibus meis suaui melle suauioribus.
Eruditus his, recedo à semita mendacij.

Nun.

Sancta lex, velut lucerna, dirigit pedes meos:
Obstinaut animum tuis vt obsequar sermonibus
Obrutum malis, tuorum fœderum memor, leua.
Edoce me iussa, & oris hanc bonus cape victimam.
Iussa non reiecta, quamuis vndiq; instarent mala:
Hæc nec abieci impiorum penè clausus retibus.
Hæc voluptas, hoc mihi vnum gaudium, hæc hæreditas:
Hic scopus mihi manebit vnus, aura dum fruar.

Samech.

Diligo legem tuam, sicut malos abominor.
Vnica es spes, vna verbis in tuis fiducia.
Vt Dei mandata seruem, hinc impij faceßite.
Me tuo sermone fulci, ne sequar spes irritas.
Te regente saluus vsque iussa diligam tua.
Perfugas calcas tuos, qui vana frustra cogitant.
Legem amo tuam, quod omnes impios extermines,
Corpus horret quum seuerum cogito te iudicem.

Ain.

AEqua ne me diligentem desere opprimentibus.
Iusta fac amem superbo tutus à ludibrio.
Dum salutem spero, scita specto dum tua, lumina
Lassa languent: tu benignus edoce seruum tua
Placita: legum fac tuarum intelligat mysteria.
Tempus instat puniendi legis aduersarios,
Ac tuum fœdus mihi auro est charius charißimo.
Hoc amo, huc errore misso dirigo vitæ ordinem.

Pe.

Pe.

Mira rituum tuorum mens colit mysteria:
Verba pectori imperito luminis sunt ianua.
Faucibus tua verba apertis duco, vitæ vt spiritum:
Ceu soles te diligentes, intuere me bonus.
Dirige ad tua verba gressus: tum scelus non opprimet
Me, tuæ legi, impiorum liber à calumnia,
Obsequar, bonus intuere me, tuam vt legem sequar:
Si quis hanc spernit, fluunt mihi more riui lachrymæ.

Sade.

Iustus es creator orbis: iusta iussa sunt tua.
Plena lex est æquitatis: certa verbis veritas.
Rumpor ira, quum scelestis impiè contemnitur.
Sermo purus instar ignis: seruus hunc amat tuus.
Impij spernant licebit me, tuam legem sequar.
Iussa stant tua sempiterna, mota nullo turbine.
Turbidis mihi illa rebus anxium cor recreant.
Scire legem da tuam: vitam mihi donaueris.

Coph.

Corde toto audi vocantem, legi vt obsequar tuæ.
Inuoco, adiuua inuocantem, fœdus vt colam tuum:
Inuoco te manè, verbis in tuis fiducia est.
Nocte vigiles anteuerto, verba mediter vt tua.
Me benignè audi, vt soles, & fauce mortis eripe.
Impij me persequuntur, legis expertes tuæ:
Tu propinqua Domine, iussa cuius omnia iusta (sunt.
Iussa firma sine nullo, firma nullo exordio.

Res.

Aspice afflictum: leua me fœderis memorem tui:
Fœderis memor meam vitam patronus assere.
Impij malè interibunt, iussa qui tua negligunt.
O bonus sine fine, robora, vt soles, vitam meam.
Me prementum multitudo à lege non flectit tua.
Mœret animus intuendo pacta qui spernunt tua.
Tu bonus tua iussa amantem me vicissim recrea.
Cuncta promissa tua nullum fixa norunt terminum.

Schin.

Me premit tyrannis: at cor verba meditatur tua
Verba gratiora gazis aureis animo meo,
Diligo legem tuam, ceu vanitatem abominor.
Septies tuam æquitatem me canentem lux videt,
Legem amantibus tuam pax multa, nulla offensio.
Spectat à te mens salutem, nixa promissis tuis.
Mens amat promissiones vnicè & seruat tuas.
Seruo tua pacta, vt vicissim tu vitam obseruas meã.

Thau.

Inuocanti da tuarum scire legum abscondita,
Inuocantem libera me, fœderis memor tui.
Te docente prædicabit os tuas laudes: tua
Iussa lingua nunciabit, iussa longè æquissima.
Dextera tua obsequentem iussibus iuua tuis.
Abs te opem spero: tuarum scita legum diligo.
Sospita me, vt prædicem te, lex iuuabit me tua.
Me vagam vt pecudẽ, require fœderis memorem tui.

DE IN-

Non lentus audisti preces.
A fraudulentæ toxico linguæ Deus
Me protege & mendacijs.
1 O lingua fraudis machinatrix impiæ,
Qua spe meum oppugnas caput?
2 Scythæ ferocis lingua pestilentior
Tinctis veneno spiculis.
3 Ignis voracis lingua flammis acrior,
Quum sylua flagrat arida.
Heu vita tristis, vita dura & anxia,
Per inuios erratica
Montes, latrones inter, atq; inhospita
Gentis feræ mapalia.
Mens ægra vitæ carpitur fastidio,
Hostes quietis accolens:
Hostes quietis, blanda quos oratio
Ferociores efficit:
Quos innocentis mentio concordiæ
Ad bella sæua exasperat.

PSAL. CXXI. Leuaui oculos meos in montes, &c.

ARGVMENTVM.

Periculis in maximis vates docet
Esse exciendam opem Dei.

CARM. GEN. 17.

DVM ferox armis inimicus instat,
Ad montes vaga lumina
Proximos

DE INSCRIPTIONE XV *Hymnorum, qui sequuntur.*

FLAMINIVS.

Ter quinque, qui sequuntur hymni, cantica
Graduum vocantur, istiusque nominis
Quæ vis in isto sit loco iam plurimi
Interpretantes protulere plurima:
Sed illa sic incerta, fabulosaque,
Vt ipse malim confiteri libere
Nescire me, quod nescio. tu candide
Lector, quòd istis continetur canticis,
Dum diligenter explicamus, obsecro
Attentum animum adhibe, tametsi inscriptio
Quid ipsa sibi velit, explicare non datur.
Nam totque, tantaque poteris cognoscere
In his Poëtæ versibus sanctissimi,
Vitam beatam maximè attingentia,
Vt curiosus sis licet, animo tamen
Aequo ferendum sit, quod vnum hoc nescias.

PSAL. CXX. *Ad Dominum, quum tribularer, &c.*

ARGVMENTVM.

Se patria pulsum inter iniustissimam
Gentem, queritur hoc carmine.

CARM. GEN. 3.

Hinc me obsidebant bella, & hinc calumnia
Liuor faces admouerat:
Ad te refugi destitutus omnibus,
Rerum creator optime.
Te voce supplex inuocaui, tu meas

Non

Non lentus audisti preces.
A fraudulentæ toxico linguæ Deus
Me protege & mendacijs.
1 O lingua fraudis machinatrix impiæ,
Qua spe meum oppugnas caput?
2 Scythæ ferocis lingua pestilentior
Tinctis veneno spiculis.
3 Ignis voracis lingua flammis acrior,
Quum sylua flagrat arida.
Heu vita tristis, vita dura & anxia,
Per inuios erratica
Montes, latrones inter, atq; inhospita
Gentis feræ mapalia.
Mens ægra vitæ carpitur fastidio,
Hostes quietis accolens:
Hostes quietis, blanda quos oratio
Ferociores efficit:
Quos innocentis mentio concordiæ
Ad bella sæua exasperat.

PSAL. CXXI. Leuaui oculos meos in montes, &c.

ARGVMENTVM.

Periculis in maximis vates docet
Esse exciendam opem Dei.

CARM. GEN. 17.

DVM ferox armis inimicus instat,
Ad montes vaga lumina
Proximos

Proximos circumfero, si quid illinc
Fortè appareat auxili.
At mihi cœli Dominus soliq̃,
Certam solus opem feret.
Ille (quid vano trepidans tumultu
Cor pulsas mihi pectora?)
Ille sanctorum (mihi crede) custos
Noctes excubat & dies:
Victa nec blandi illecebris soporis
Vnquam lumina dimouet,
Leniter paßis tibi semper alis
Vmbræ more superuolat,
Ne cutem solis violentioris
Vrant spicula de die,
Nocte ne lunæ nebulosioris
Artus degrauet halitus.
Seu domi clausus lateas, latentem
Clausis seruat in ædibus:
Seu foris pacis obeas amicæ,
Seu belli fera munera,
Sospitem è cunctis Dominus periclis
Semper te bonus eruet.

PSAL. CXXII. Lætatus sum in his quæ dictæ sunt, &c.

ARGVMENTVM.

Omnes solebant ter quotannis visere
Templum Dei, hoc inducit ergo carmine
Lætantem

Lætantem Hebræum tempus aduenisse, quo
Adiret vrbem, cui precaretur benè.

CARM. GEN. 16.

O Lux candida, lux mihi
Læti conscia nuncij:
Iam pleno stata tempora
Reddit circulus anno:
Iam festi reuocant dies
Augustam Domini ad domum:
Iam sacri pedibus premam
Lætus limina templi.
Iam visam Solymæ edita
Cœlo culmina, & ædium
Moles nobilium, & suo
Augustam populo vrbem:
Vrbem, quam procul vltimis
Terræ finibus exciti
Petunt Isacidæ, vt Deum
Placent more parentum.
Iussam cœlitus oppidis
Vrbem ius dare cæteris:
Et sedem fore Dauidis
Cuncta in sæcula proli.
Mater nobilis vrbium,
Semper te bona pax amet:
Et te semper amantibus
Cedant omnia rectè.
Semper pax tua mœnia

Colat:

Colat: ſemper in ædibus
Tuis copia dextera
Larga munera fundat.
Dulcis Iſacidûm domus,
Te pax incolæ ſoſpitet:
Sedes numinis, omnia
Succedant tibi fauſtè.

PSAL. CXXIII. *Ad te leuaui oculos meos, &c.*

ARGVMENTVM.

Preſsi boni â malis viri impijs in hac
Vita fidem Dei cient.

CARM. GEN. 6.

AD te leuaui, rex, pater, & Deus,
Ad te leuaui lumina, qui procul
Contagio humano remotus,
Templa habitas radiata cœli.
Vt ſeruus obſeruat domini manus,
Geſtus & omnes lumine mobili,
Arguta ceu nutus acutis
Serua oculis dominæ tuetur:
Te noſtra ſpectant, te Domine & Deus,
Intenta mentis lumina, dum graues
Iras remittas, ſeruulisq;
Des veniam bonus atque pacem.
Iam lenis in nos reſpice: ſeruulis
Iam parce tandem, parce fidelibus,
Quos hoſtis inſultans ſuperbo
Ludiſi-

Ludificatq́, premitq́, vultu.
Contemptus hosti ac opprobrium sumus,
Vitaq́, tædet, ferre animus nequit
Supercili fastum superbi,
Ludibriumq́, opibus tumentum.

PSAL. CXXIIII. Nisi quia Dominus erat in nobis, &c.

ARGVMENTVM.

Gens sancta liberata præsenti malo,
Grates agit summo Deo.

CARM. GEN. 27.

NI fauentis affuisset numinis præsentia,
(Dicat Isaci propago) Numinis præsentia
Ni fauentis affuisset, quum veniret perditum
Nos superba multitudo, freta stultis viribus,
Fortè viuos deuorassent: debilesq́, & pauculos:
Ira feruidi furoris auida nostri sanguinis,
Obruisset instar vndæ nos procella cladium:
More torrentis niuali ab imbre turgidi, impetus
Nos repentè sustulisset: vsque ad animam gurgites,
Vsque ad animam transijssent gurgites imperuij.
Sempiterna laus Deo sit, qui suos non tradidit
Dentibus prædam cruentis perfidarum gentium:
Cassibus fractis dolosis sospites euasimus:
Capta veluti iam volucris rete fugit aucupis.
In Deo nostræ salutis spes reposita est vnico,
Qui solum cœlumq́, fecit vi potentis dexteræ.

PSAL.

PSAL. CXXV. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, &c.*

ARGVMENTVM.

Securitatem horum canit vates, suas
Qui collocant spes in Deo.

CARM. GEN. 6.

Sionis arcem non Aquilo impotens
Saxo sedentem perpetuò quatit,
Nigrantibus non Auster alis
Imbriferas glomerans procellas.
Quicunque verè spem locat in Deo,
Non hostis hunc vis, non quatiet dolus,
Si fractus illabatur orbis,
Incolumis fugiet ruinam.
Vt ciuitatem mœnia montium
Sanctam tuentur, sic Dominus suos
Vi cingit arcana, nec vnquam
Præsidij viduos relinquet.
Nec impiorum perpetuo iugo
Sinet piorum progeniem premi,
Ne turpibus contaminetur
Flagitijs labefacta mentem.
Vt affluenter fac bona sint bonis.
Vt continenter fac malè sit malis,
De calle quos recti illecebris
Impietas malè sana flexit.
Fac sancte rerum conditor, vt domum

Beata semper pax colat Isaci.
Tranquillitas secura pulchræ
Exhilaret Solymæ colonos.

PSAL. CXXVI. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, &c.

ARGVMENTVM.

A Barbarorum sede reuenientium
Lætitiam Hebræorum canit.

CARM. GEN. 2.

QVum pater omnipotens captam remeare Sionem,
Dulcemq; iussit patriam reuisere,
Attoniti stupuere animi, nec opinatq; secum
Metum librantes inter & spem gaudia.
Vixq; sibi credunt: veluti qui noctis opacæ,
Sopore pulso, manè versat somnia,
Pro lachrymis redeunt risus: sua gaudia quisque
Sermone celebrat, patrium laudans Deum,
Nec minus attonito stetit ad miracula vultu,
Sic Barbarorum turba secum mussitans,
En pater ille Deûm quot signa ostendit amoris,
Huius saluti gentis vsque vt prospicit!
Nec falsò nam signa Deus monstrauit amoris
Præclara, nostræ dum saluti prospicit.
Ergo alacres læto testamur gaudia plausu.

At

At tu benigne fac parens vt cæteri
Iam redeant, plenusq; vijs sic agmen inundet,
Vt æstuosi quum flat Austri spiritus,
Indignata suis cohiberi fluminaripis,
Vaga per agros murmurant licentia.
Qui malè fœcundæ commisit semina terræ,
Et corde tristis multa voluit anxio,
Si venit vberior seges imbribus aucta benignis,
Exultat hilari cor metentis gaudio.
Nos quoq; longa fugæ post tædia postq; labores
Læti arua dulcis patriæ reuisimus.
Te patrium canimusq; Deum semperq; canemus:
Agimusq; memores atque agemus gratias.

PSAL. CXXVII. Nisi Dominus ædificauerit domum, &c.

ARGVMENTVM.

Et ciuitatis, & domus custodiam
Sitam in Deo summo docet, victum omnibus
Qui præparat, cultumque dat mortalibus.

CARM. GEN. 3.

NI cœpta Dominus iuuerit, frustra struis
Moles superbas ædium.
Ni Dominus vrbem seruet, incassum excubat
Muris vigil custodia.
Frustra anteuertis manè solem, & vespere
Sero domum reuerteris:
Victum labore vix parabis anxio,

Ni Dominus admorit manum.
At ille amicis interim suis dabit
Purum soporem somnijs:
Domumq; dulci prole fœtam liberûm
Præbebit. Hæc hæreditas,
Hæc illa merces qua beat charos sibi
Rerum ille Dominus omnium.
Non sic timori est dexteram telis grauis
Bellator hostis hostibus,
Vt quem parentem masculæ propaginis
Fauor beabit numinis.
O ter beatum & amplius qui talibus
Pharetram sagittis impleat.
Non ad tribunal erubescet iurgia
Procacis aduersarij.

PSAL. CXXVIII. Beati omnes qui timent Dominum, &c.

ARGVMENTVM.

Cantatur à vate hîc amantium Dei
Fortuna florentissima.

CARM. GEN. 26.

Felix ô ter & amplius Ex Horat. Lib. 1. ode 17.
Quem timor Domini tenet,
Quem non illius à via
Flectit deuius error.

Felix

Felix, & tibi prosperè
Cedent omnia: nam tuo
Carpes dulcia ferculæ
Comparata labore.
Instar palmitis vberi
Prouentu grauidi, & comæ
Cingentis viridi domum,
Te coniunx hilarabit,
Ceu plantaria fertili
Pubescunt oleæ solo,
Iucundo tibi liberi
Cingent agmine mensam.
Quem timor Domini tenet,
Inter talia commoda
Vitæ tempora transiget.
At te ex arce Sionis
Ditabit Domini manus
Larga: & conspicies bonis
Florentem Solymam, tibi
Donec vita manebit.
Prolis aspicies tuæ
Longa stirpe propaginem:
Festa semper & Isaci
Lætos pace nepotes.

PSAL. CXXIX. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, &c.*

ARGVMENTVM.

Grates agit summo pátri, quod Barbaris
Pressam vsque conseruauerit gentem suam.

CARM. GEN. 34.

IVre dicat grex bonorum,
Mille me molestijs
Factio pressit malorum.
Vsque ab incunabulis
Factio pressit malorum
Mille me molestijs:
Nec tamen subuertere vnquam
Quiuit vllis machinis.
Terga sæuis exarauit
Verberum vibicibus:
Terga longis secta sulcis,
Hostis ad fastidium:
Sed parens rerum benignus
Vincla rupit impia,
Meq; neruo liberauit
Seruitutis asperæ.
Qui Sionis non amico
Spectat arces lumine,
Vota semper vana voluat,
Spes inanes nutriat.
Marceat, ceu sole marcet

Herbæ

Herba languens torrido,
Herba ſummis nata tectis,
Quæ repentè corruit
Ante falcis plagam acutæ,
Aridis radicibus:
Vnde nec ſinum repleuit
Qui maniplos colligit:
Nec manum meſſor peruſtus,
Prata tondens florea.
Nec viator ominatus
Proſpera eſt metentibus,
Sic precatus, Arua læta,
Arua lauta & roſida,
Hunc in annum & vſque in annos
Hunc ſequentes, numinis
Vos fauor ſemper benigni
Seruet, ornet, augeat.

PSAL. CXXX. *De profundis clamaui ad te Domine, &c.*

ARGVMENTVM.

Mortalis aurea eſt viri precatio,
Peccata quem grauiſsimè crucient ſua,
Seſeque ſolantis patris fiducia
Summi benignitatis, & clementiæ.

CARM. GEN. 8.

CVrarum rapidis fluctibus obrutus,
Arcanis animi de penetralibus,

Audi verba precantis,
Clamaui pater optime:
Audi verba pater quæ tibi supplices
Multo cum gemitu fundimus: applicæ
Intentam bonus aurem
Tristes ad querimonias.
Si vindex tetricus facta nefariè
Pœnis cuncta velis plectere, quis sibi
Tam confidit, acerbum
Vt non horreat exitum?
At tu non furijs tristis es asperis,
Sed largus veniæ, & munificus parens:
Vt te iure colamus,
Legum & iussa salubria.
Nam spes polliciti me recreat tui:
Promissiq; fides fallere nescij,
Et fiducia certa
Mentem sustinet anxiam.
Non sic præcipiti nocte vigil diem
Obseruat roseum, non roseum vigil
Phœbi sic auet ortum,
Vt flagrat mea mens Deum.
Securi in Domino figite spem pij
Non duro veniam supplicibus dare,
Et prompto dare pressis
Duro seruitio manum.
Electi generis progeniem graui
Pressam seruitio, ex hostibus asseret:

Et de

Et de morte redemptam,
Noxis eximet omnibus.

PSAL. CXXXI. Domine non est exaltatum cor meum, &c.

ARGVMENTVM.

Vates suo exemplo docet superbiam
Cauendam, & in summo Deo tantummodò
Spes esse figendas viris mortalibus:

CARM. GEN. 28.

SI spiritu impotenti,
Si lumine insolenti
Elatus ambulaui,
Si virium mearum
Fiducia superbus
Despexerim minores:
Si mentis arrogantis
Sublime vectus alis,
Maiora quàm liceret
Sperare, cogitaui:
Ni vota temperaui
Modestia salubri:
Nil deprecor, rogóue,
Nullam recuso pœnam.
Qualis puer tenellus
Vix lacte pulsus, vnam
Suspirat in parentem,
Hanc spectat, hac ab vna
Dependet, ambit vnam.

AEterne rector orbis,
Te mens mea intuetur
Vnum, vni adhæret, vnum
Te vindicem salutis
Agnoscit. O piorum
Propago sancta patrum,
Vnum Deum parentum
Spectate, spes in vno
Locate, cuncta ab vno
Sperate: spem nec vnquam
Fouebitis caducam.

PSAL. CXXXII. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius, &c.

ARGVMENTVM.

Hic in parendo numinis templi loco
Studium suum narrat: Deusque inducitur
Loquens, ducique Dauidi sanctissimo,
Proliqué promittens thronum iugem piæ
Christo Deo, omnium duci mortalium.

CARM. GEN. I.

DAuidis esto memor, genitor, memor esto laborum
Quos tulit, in rebus tua iussa sequutus egenis.
Ille tibi, Hebræa gentis Deus vnice, votis
Obstrinxit caput, & promissis ora reclusit,
Non ædes prius ingrediar, molliue reponam
Membra toro, aut oculis dulcem indulgebo soporem,

Quàm fanum inueniam, & sacri fundamina templi
Designem, sanctisq; locum dimetiar aris.
Ecce mihi, patrijs subitò dum versor in aruis,
Et iuga dum peragro sylvestribus obsita dumis,
Monstrauit Deus ipse locum. Deus ipse perenne
Hic templum, templiq; sacris sedem innuit aris.
Ergo alacres gratam Dominò properemus ad ædem:
Scamna pedum pronis veneremur vultibus, & tu
Sancte parens, bonus ac placidus cape vota, tuamq;
Lætus adi sedem neu dedignare penates
Qui memorem æterni seruabunt fœderis arcam.
Templa sacerdotes casti tueantur, & omnes
Qui tua ritè pijs venerantur numina sacris,
Lætitia exultent. Si Dauid pectore puro
Te coluit, ne Dauidicæ nunc respue prolis
Dona, tui populi cui fræna tenenda dedisti.
Dauidi enim quondam (neq; iam sententia vertet
Vlla tuam mentem) iurasti, E stirpe propago
Nata tua solium & sceptrum retinebit auitum.
Quòd si posteritas seruet mea fœdera, pactis Promissio
Si steterit, leges si non temerarit auitas,
Nulla dies solio, vis nulla extrudet auito,
Et natos natorum, & qui nascentur ab illis.
Ipse mihi sedem elegi sine fine Sionem,
Quã colerẽ: hic mihi certa quies, hic certa voluptas:
Hæc mihi grata domus: cœli indulgentia fruges
Faxo alat, & duros largè saturabo colonos.
Templa tuebuntur casti iustiq; ministri,

Lætitiaq;

Lætitiaq̃ pijs perfundam pectora certa:
Dauidicoq̃ nouum producam è semine germen,
Quod latè in populos fundet sua brachia: stirpi
Prospiciam seræ solium qui illustret auitum,
Claraq̃ per cunctas diffundat lumina terras.
At pudor & turpes maculas infamia spargens
Hostibus inficiet vultus, Iessæa propago
Florebit, cingetq̃ sacrum diademate crinem,
Transmittetq̃ suam longæua in sæcula famam.

PSAL. CXXXIII. Ecce quàm bonum & quàm iucundum, &c.

ARGVMENTVM.

Concordiam commendat, & pacem lyra
Hoc Dauidis poëmate.

CARM. GEN. 3.

NIL charitate mutua fratrum, nihil
Iucundius concordia,
Non aura suauis balsami, quum funditur
Aronis in sacrum caput,
Et imbre læto proluens barbam & sinus
Limbum pererrat aureum:
Non ros, tenella gemmulis argenteis
Pingens Sionis gramina,
Aut verna dulci inebrians vligine
Hermonis intonsi iuga.
Fraterna quam pax incolit domum, iuuat
Dominus benigna dextera:
Et opibus

Et opibus auget: filiorum & filios
Multis propagat sæculis.

PSAL. CXXXIIII. *Ecce, nunc benedicite Domino, &c.*

ARGVMENTVM.

In templo agentes vigilias hortatur hîc
Viros, Deum vt simul canant.

CARM. GEN. 3.

Domini ministri, nocte qui custodiæ
Sancti excubatis atrij,
Laudate Dominum laudibus, donec sacro
Nox annuit silentio.
Interq; laudes mentibus puris manus
Cœlo supinas tollite.
Et vos beabit Dominus inuicem omnibus
Cœli soliq; commodis:
Dominus Sionem qui tuetur, vnicus
Cœli soliq; conditor.

PSAL. CXXXV. *Laudate nomen Domini, laudate, &c.*

ARGVMENTVM.

Benignitatem prædicat miram in suos
Ciues Dei, atque vim ipsius.

CARM. GEN. 1.

Vos quibus est sacri custodia credita templi,
Eia Deum laudate: Deum celebrate ministri
Qui sacra aßidua vigilatis ad atria cura.
Eia Deum laudate bonum, nomenq; beatum
Tollite

Tollite perpetuo vestro super æthera cantu.
Quippe Iacobum vltro legit, lectumq; dicauit
Hunc sibi, ceu priuam patrimoni in sæcula sortem.
Nota quidem Domini est immensa potentia, notum
Numen: quippe Deos sub se premit altior omnes,
Quos alij stolida placant ceu numina cura.
Versat enim nutu cœlo, terraq; mariq;,
Aut si quod cæcis clausum est penetrale tenebris
Naturæ, quodcunq; libet. de viscere terræ
Euocat & liquido suspendit in aëre nubes:
Fulguribusq; vagis venientes præuenit imbres
Deq; suis promit ventorum flamina gazis.
Ille hominum primos fœtus pecudumq; per aruæ
Diuitis AEgypti strauit: regemq; superbum,
Et quicunq; bibunt septemflua flumina Nili,
Terruit ostentis: validis ille oppida muris
Turrita euertit: numeroso milite cinctos
Cum stirpe extinxit violento funere reges,
Quiq; Amorrhæis Seon regnauit in oris,
Quiq; Basan Ogus magna ditione tenebat,
Regnaq; non vni Cananæia subdita sceptro:
Aruaq; deiectis nuper viduata tyrannis,
Accepere nouos Iacobi è stirpe colonos.
Sancte parens rerum, qui iusto examine nosti
Parcere subiectis & debellare superbos,
Posteritas te sera canet: tua splendida facta
Nulla vnquam ex animis tollent obliuia nostris.
At sibi quæ varijs finit simulachra figuris

Vana

Virgilius sexto libro

Vana superstitio, calidis fornacibus aurum
Argentúmue liquans, nil sunt nisi ludicra dextræ
Humanæ commenta: illis os vocis inane:
Lucis egent oculi: surdas sonus aduolat aures:
Et patulas frustra nares iucundus odorum
Halitus incursat: calidus non pectora pulsat
Spiritus. O quisquis ludibria talia fingit,
Aut colit, ipse suis similis Dijs exigat æuum,
Mentis inops, & lucis egens: non aure nec ore
Accipiat reddá tue sonos: nec nare sagaci
Sentiat halantes per prata nitentia flores.

Tu verò genus à magno Israele profectum,
Et domus Aronis, genitiq́ è sanguine Leui,
Et quicunq́ pio rerum venerare parentem
Obsequio, laudate Deum qui tecta Sionis
Ardua, qui sacram Solymæ bonus incolit ædem.

PSAL. CXXXVI. *Confitemini Domino, quoniam bonus, &c.*

ARGVMENTVM.

Cantus quæ fuit est eadem modò summa prioris.

CAMR. GEN. 2.

EIA Deum laudate, Deum facilemq́ bonumq́
Larga benignum semper indulgentia,
Eia Deum laudate. Deus namque ille deorum est,
Larga benignus semper indulgentia.
Cui Domini rerum submittunt sceptra tyranni,
Larga benigno semper indulgentia.
Qui facit attonito solus miracula mundo,

Larga

Larga benignus ſemper indulgentia,
Qui nitidos mira arte polum conuoluit in orbes,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Qui liquidus terras emergere iußit ab vndis,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Qui vitreo accendit flammantia lumina cœlo,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Qui ſolem auricomum iußit dare iura diei,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Qui lunam & ſtellas tenebras diſtinguere noctis
Iußit, benigna ſemper indulgentia.
Pignora prima Phari qui fato extinxit acerbo,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Iſacidas medio incolumes ex hoſte recepit,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Qui rubri Oceani torpentes diffidit vndas,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Perq; vndas fiſſas ſobolem traduxit Abrami,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Pharonem & Pharios ſubmerſit gurgite currus
Larga benignus ſemper indulgentia.
Deduxitq; ſuos deſerta per auia tutos,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Et validos merita proſtrauit clade tyrannos,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Strauit Amorrhæum valida virtute Seonem,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Strauit Ogum magno fidentem corpore fruſtra,

Larga

Larga benignus ſemper indulgentia:
Metatusq́ nouis agrum eſt vtriusq́ colonis,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Iſacidis habitare ſuis dedit hoſtica rura,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Qui nos in rebus miſeros reſpexit egenis,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Auertitq́ ferum noſtris ceruicibus hoſtem,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Qui genti vitam humanæ victumq́ miniſtrat,
Larga benignus ſemper indulgentia.
Aſtrigeros laudate Deum qui temperat orbes,
Larga benignus ſemper indulgentia.

PSAL. CXXXVII. *Super flumina Babylon. &c.*

ARGVMENTVM.

Iudæa gens abducta ad immaniſsimos
Babylonios, narrat ſuum grauiſsimum
Luctumq́ue, mœroremq́ue: regni præcinens
Sceptriq́ue Caldæorum, & exitum hoſtium.

CARM. GEN. 22.

DVM procul à patria mœſti Babylonis in oris,
Fluminis ad liquidas fortè ſedemus aquas,
Illa animum ſubijt ſpecies miſeranda Sionis,
Et nunquam patrij tecta videnda ſoli.
Fleuimus, & gemitus luctantia verba repreſſit:
Inq́ ſinus liquidæ decidit imber aquæ.

Muta super virides pendebant nablia ramos,
Et salices tacitas sustinuere lyras.
Ecce ferox Dominus Solymæ populator opimæ,
Exigit in medijs carmina læta malis:
Qui patriam exilio nobis mutauit acerbo,
Nos iubet ad patrios verba referre modos,
Quale canebamus, steterat dum celsa Sionis
Regia, finitimis inuidiosa locis.
Siccine diuinos Babylon irrideat hymnos?
Audiat & sanctos terra profana modos?
O Solymæ, ô adyta, & sacri penetralia templi,
Vlláne vos animo deleat hora meo?
Comprecor, antè meæ capiant obliuia dextræ.
Nec memor argutæ sit mea dextra lyræ:
Os mihi destituat vox, arescente palato,
Hæreat ad fauces aspera lingua meas:
Prima mihi vestræ nisi sint præconia laudis:
Hinc nisi lætitiæ surgat origo meæ.
At tu (quæ nostræ insultauit læta rapinæ)
Gentis Idumeæ tu memor esto pater.
Diripite, ex imis euertite fundamentis,
AEquaq́ (clamabant) reddite tecta solo.
Tu quoq, crudeles Babylon dabis impia pœnas:
Et rerum instabiles experiêre vices:
Felix qui nostris accedet cladibus vltor:
Reddet ad exemplum qui tibi damna tuum:
Felix qui tenero conspergit saxa cerebro,
Eripiens gremio pignora chara tuo.

PSAL.

PSAL. CXXXVIII. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, &c.*

ARGVMENTVM.

Grates agit summo Deo, atque maximam
In Dauidem ipsius canit clementiam.

CARM. GEN. 29.

PEctore te grato Dominumq; Deumq; fatebor
Coram superbis regibus,
Et tua facta canam.
Ad tua templa oculis, animo ad tua numina spectans,
Nomen celebrabo tuum
Perpetuamq; fidem:
Qui promissa nouis donis cumulata rependis:
Audis vocantem, robora
Das animo trepido,
Te, quacunque patet tellus circumflua ponto,
Reges fatebuntur Deum,
Quum sine labe fidem
Audierint: rituq; tuos super æthera cantu
Ferent, tuæq; gloriæ
Ad iubar attoniti,
Nam liquidi quanquam trans ignea mœnia mundi
Beatus in te permanes:
Attamen haud humiles
Despicis, elatosq; premis discrimina mille
Passim mihi circumstrepant,
Te duce tutus ero.

Tu valida obsistes dextra furialibus ausis
Qui me lacessunt hostium:
Incolumiq; dabis
Quod superest, si quid superest. bonitate perenni,
Quo cœperas gradu tuæ
Facta tuere manus.

PSAL. CXXXIX. Domine probasti me, & cognouisti me, &c.

ARGVMENTVM.

Scientiam Dei, atque prouidentiam
Oratione rex canit mirabili,
Mortalium cui dicta, factaque singula
Deo satis, superque sunt notissima.

CARM. GEN. 3.

MOmenta vitæ nulla te latent meæ,
Rector benigne cœlitum.
Seu sedeo, siue surgo, seu quid cogito,
Tu cuncta præsens aspicis.
Lux siue curam, seu quietem nox tulit,
Curam & quietem temperas.
Ne te minutæ voculæ fugit sonus,
Quam lingua temere fuderit.
Et os & humeros, totiusq; corporis
Sic arte mira fabricam
Finxisti, acumen nullum vt humani ingeni
Ratione possit assequi.
Quónam ergo vultum fugero tuum? quibus

Clausus

Clausus latebris occular?
Petámne cœlum? præsto es hîc: ad inferos
Demergar? illinc non abes.
Aurora curru me volucri vt deferat
Ad Occidentis limitem:
Hîc deprehendes me, nec hîc tutus tuæ
Vitabo fulmen dexteræ.
Incauta mens si fortè secum cogitet,
Nox me tenebris occulet,
Obscura tenebris nostra nox, luce est tibi
Meridiana clarior:
Tibi nec tenebræ sunt tenebræ, nec tuæ
Nox vlla prouidentiæ est.
Arcana mentis tu tenes, qui pectoris
Arcana fabricatus es.
Qui me parentis ventre conditum, cutis
Tenello amictu inuolueras.
Compago mira corporis nostri, tuæ
Miraculum est solertiæ.
Stupenda cuius opera nec nostra assequi
Sed nec negare mens potest.
Nam nulla nostri tam minuta est corporis
Pars, vt tuam scientiam
Fugiat, nec vlla claustra pectoris latent
Te conditorem pectoris.
Massæ recentis rudia adhuc primordia,
Rudisq; massæ semina,
Ceu scripta haberes, corporisq; lineas,

Motum statumq; noueras.
Et membra nondum quum forent, quid adderent
Dies sciebas singuli.
Hæc mente tacita cogitanti mihi, stupor
Torporq; sensus alligat.
Animus labascit quum tua miracula
Perpendo mecum dexterè.
Citius inibo numerum, arena in littore
Quot voluat æstus corpora:
Quamuis ocellis peruigil nunquam meis
Dulcem soporem indulsero.
O quando perdes impios rerum parens?
O quando sanguinarios
A me repelles, qui scelesti nomini
Et numini illudunt tuo?
Te quisquis odit, nunquid odi? non tuos
Hostes habebam pro hostibus?
Odi profectò: nec tuis ex hostibus
Amicus est quisquam mihi.
Reuolue mentis intimos sinus Deus,
Latebrasq; nostri pectoris,
Nisi hîc amorem videris tui, nisi
Animum obsequi non impigrum.
Si par scelestis scelere sum, vita parem
Da cum scelestis exitum.

PSAL.

PSAL. CXL. *Eripe me Domine ab homine malo, &c.*

ARGVMENTVM.

In hostium insidias Poëta & vim Dei, & Implorat auxilium sibi.

CARM. GEN. 6.

AEterne rerum conditor, à malæ
Linguæ veneno me bonus assere,
Meamq; periuri tuere
Hostis ab insidijs salutem,
Qui fraude tecta bella nefaria
Ciet: nec atris mitior anguibus,
Vibratq; linguam virulentam, &
Ore vomit rabido venenum.
Auerte fraudem, & me violentiæ
Hostis scelesti subtrahe, qui mea
Vestigia obseruat, scrobesq;
Obijciens, laqueosq; tendens.
At tu, salutis præsidium meæ,
Audi precantem: tu Dominus mihi
Deusq;, tu me liberasti
Incolumem crepero è duello.
Idem impiorum nunc bonus irrita
Fac vota: sæuam frange superbiam.
Virusq; linguæ pestilentis
In Domini exitium resunde.
Deiecta cœlo flammea perfidos
Procella fundat præcipiti fuga,

Cæcosq; propellat profundas
Perpetui in barathri tenebras.
Linguæ loquacis perfida vanitas
Nunquam quieto deget in otio:
Sed impiè dignum patratis,
Exitium Domino parabit.
At impiorum à vi Dominus suos
Et fraude vindex asseret: vt pij
Numen Dei præsens potensq;
Perpetuo celebrent honore.

PSAL. CXLI. Domine clamaui ad te, exaudi me, &c.

ARGVMENTVM.

Eam sibi mentem dari à Deo petit,
Qua res potentium, atque gratiam omnium
Contemnat, ac necessitudinem virûm
Amet bonorum: inuehitur hinc hostem in suum.

CARM. GEN. 3.

AVrem vocanti da parens propere, meas
Audi preces salutifer.
Quum verba fundo tristis, & puras manus
Attollo, sic preces meas
Manusq; puras respice, ac si thureo
Odore manè te colam:
Ac si colam te victima & libamine
Sero rubente vespere.
Fræno coërce linguam: ad oris ianuam
Fac excubet custodia,

Fac

Fac mens sequatur recta, fac in lubricam
Ne flectat erroris viam.
Fac ne scelesto gaudeat cœtu, neque
Mensa fruatur impia.
Me malo iustus increpet, me verberet,
Quàm palpet impius, comam
Quàm rore nardi spargat impij, precor,
Et impiorum præsides,
De rupis altæ quum ruent specula, sui
Supplicia sceleris vt luant.
Tum subeat animum conscium, salubriter
Quòd me monentem spreuerint.
Sic mortis horror oßium compagines
Mihi laxat, vt cæsæ iacent
Fagi per arua fissa cuneis fragmina.
Tu sancte rector cœlitum,
Spes vna nobis es salutis, vnicum
Agnoscimus te vindicem.
Vitam tuere ab impiorum caßibus,
A fraude quam struunt mihi.
Compos salutis impios fac in sua
Cernam ruentes retia.

PSAL. CXLII. Voce mea ad Dominum clamaui, &c.

ARGVMENTVM.

Saulem ducem fugiens ferum vates pius
Cùm se abdidisset in cauam specum timens
Vicem suam quàm maximè, nec non ferè

Salute desperata, ita orauit Deum.

CARM. GEN. 17.

INuoco supplex Dominum, manusq;
Tendo ad sydera supplices.
Mentis huic pando lachrymas: querelis
Imploro miseris opem.
Pectus afflictum dolor obruebat:
Quamuis rex bone cœlitum
Puriter vitæ mihi tu peractæ
Esses arbiter optimus.
Quum domo gressum tamen efferebam,
Tendebant mihi retia.
Nec mihi notus, nec amicus vsquam,
Quoquo lumina verteram.
Exitus nusquam, fuga nulla, nemo
Qui me sospite plauderet.
Ergo te, rerum pater, inuocaui,
Vnum præsidium in malis.
Tu meæ vires, mea spes, opesq;
Dum sedes hominum colo.
Da meis aurem facilem querelis
Fracti cladibus vltimis.
Assere à sæui manibus tyranni,
Qui me fortior opprimit.
Carceris vitam rape de tenebris,
Vt te laudibus efferam:
Teq; conuentus celebret piorum,
Promptum ferre pijs opem.

PSAL.

Fac mens sequatur recta, fac in lubricam
Ne flectat erroris viam.
Fac ne scelesto gaudeat cœtu, neque
Mensa fruatur impia.
Me malo iustus increpet, me verberet,
Quàm palpet impius, comam
Quàm rore nardi spargat impij, precor,
Et impiorum præsides,
De rupis altæ quum ruent specula, sui
Supplicia sceleris vt luant.
Tum subeat animum conscium, salubriter
Quòd me monentem spreuerint.
Sic mortis horror oßium compagines
Mihi laxat, vt cæsæ iacent
Fagi per arua fissa cuneis fragmina.
Tu sancte rector cœlitum,
Spes vna nobis es salutis, vnicum
Agnoscimus te vindicem.
Vitam tuere ab impiorum caßibus,
A fraude quam struunt mihi.
Compos salutis impios fac in sua
Cernam ruentes retia.

PSAL. CXLII. Voce mea ad Dominum clamaui, &c.

ARGVMENTVM.

Saulem ducem fugiens ferum vates pius
Cùm se abdidisset in cauam specum timens
Vicem suam quàm maximè, nec non ferè

Salute desperata, ita orauit Deum.

CARM. GEN. 17.

INuoco supplex Dominum, manusq;
Tendo ad sydera supplices.
Mentis huic pando lachrymas: querelis
Imploro miseris opem.
Pectus afflictum dolor obruebat:
Quamuis rex bone cœlitum
Puriter vitæ mihi tu peractæ
Esses arbiter optimus.
Quum domo gressum tamen efferebam,
Tendebant mihi retia.
Nec mihi notus, nec amicus vsquam,
Quoquo lumina verteram.
Exitus nusquam, fuga nulla, nemo
Qui me sospite plauderet.
Ergo te, rerum pater, inuocaui,
Vnum præsidium in malis.
Tu meæ vires, mea spes, opesq;
Dum sedes hominum colo.
Da meis aurem facilem querelis
Fracti cladibus vltimis.
Assere à sæui manibus tyranni,
Qui me fortior opprimit.
Carceris vitam rape de tenebris,
Vt te laudibus efferam:
Teq; conuentus celebret piorum,
Promptum ferre pijs opem.

PSAL.

PSAL. CXLIII. Domine exaudi orationem meam, &c.

ARGVMENTVM.

Cantus quæ fuit est eadem modò summa prioris.

CARM. GEN. 15.

AVdi vocantem rebus in asperis,
Et lenis aurem da precibus meis,
Rerum creator; quaq; soles fide
Et æquitate ab hostibus eripe.
Iuris seueri ne trutina meam
Expende vitam: nemo hominum innocens
Sic est, tribunal possit vt ad tuum
Se profiteri crimine liberum.
En hostis atrox imminet, & premit
Stratum: tenebris tristibus abditus,
Et lucis exors dego, velut specu
Quos in sepulchri mors fera condidit.
Mens penè curis obruta voluere
Priora cœpit tempora, quum patres,
Spes quos fouebat præsidij tui,
De fauce lethi sæpe reuelleres.
Hac recreatus rursus imagine,
Imploro supplex auxilium tuum.
Intenta mens te respicit, arida
Tellus vt imbres sub cane torrido.
Non lentus audi. nam mihi spiritus
Vix fessa pulsat pectora: si tui
Auertis oris lumen amabile,
Mors atra siccis faucibus imminet.

Spe

Spe mens labores auxilij tui
Fert: spectat vnum te, pater optime.
Audi precantem lenis, & exitum
Iamiam obruturis pande periculis.
Ab hoste sæuo protege me, meæ
Custos salutis: praua repellere
Mentem manumq́, & recta capessere
Doce, vnicum te qui veneror Deum.
Arcana fac vis numinis vt tui
Per plana gressum dirigat, vt tua
Mandata secter: neu malè credulum
Error malorum vertat in orbitam.
Vt nulla numen non celebret tuum
Et æquitatem natio, recreæ
Me destitutum præsidio: & malis
Hostis scelesti libera ab artibus.
Fauoris vmbra me solita tege
Et qui me acerbis vsque doloribus
Affligit, hostem perde nefarium,
Seruumq́ serua perpetuò tuum.

PSAL. CXLIIII. *Benedictus Dominus Deus, qui, &c.*

ARGVMENTVM.

Cuius benignitate vincit hostium
Vires, agit grates Deo, ac opem ipsius
In nationem perditam implorat sibi.

CARM. GEN. 13.

QVO te rex hominum carmine prosequar?
Qui firmas animum robore, qui manum
Et bel-

Et bellare doces, & dubij regis
Per discrimina prælij.
Quòd viuo & valeo, tutus & hostium
A fraude, eximia fulgeo gloria:
Quòd latè validis impero gentibus,
Totum muneris id tui est.
O rerum genitor, quantulus est homo
Hac quem prosequeris munificentia,
Et curas patria sollicitudine
Figmentum fragilis luti?
Quo nec bulla leuis vanior est, neque
Quæ mentes agitant somnia turbidas,
Nec serum fugiens vmbra crepusculum,
Nec fumi volucris vapor.
Cœli pande fores rex bone cœlitum,
Ac de sydereis labere sedibus:
Montes nube operi: per liquidi aëris
Campos fulgura traÿce.
Turbatos trepida sparge fuga impios,
Et sparsos iaculis perde sequacibus:
Porrectaq; manu me, pater optime,
Sæuis eripe fluctibus.
Hostis pelle malam vim procul impij:
Linguæ vaniloquæ reprime toxica:
Assuetæq; dolis pestiferis manus
Vires contere viribus.
Vt te nostra nouo carmine barbitos
Dicat, subsidio qui recreas tuo
Reges:

Reges: qui grauibus sæpe periculis
Vitam Dauidis eripis.
Hostis pelle malam vim procul impij:
Linguæ vaniloquæ reprime toxica:
Assuetaq; dolis pestiferis manus
Vires contere viribus.
Natorum soboles crescat, vt vbere
Surgit sylua solo laurea: virgines
Cultu sic niteant, vt laquearibus
Templorum tholus aureis.
Stipentur grauidis horrea frugibus:
Pleno cuncta penu copia suggerat:
Fœcundi pecoris non capiant greges
Latis pascua saltibus.
Pingues plaustra boues & nitida trahant:
Neq; tristi resonent compita classico,
Nec fletu plateæ: nec furor hosticus
Clausis affremat oppidis:
Felicem populum, inter bona talia
Qui vitam in tacito transigit otio.
Felicem populum ter quater, omnium
Cui rerum pater est Deus.

PSAL. CXLV. Exaltabo te Deus meus rex, &c.

ARGVMENTVM.

Oratione prædicat mirabili
Dei potestatem, atque prouidentiam
In vniuersas bestias, mortalium &
Cætus,

Tuiq; vires imperi
Per populos latè vulgant: ne nescia sceptri
Terra sit vlla tui,
Et gloriæ & potentiæ.
Imperium sine fine tibi: nec legibus æui
Subdita sceptra tenes,
Aut clausa metis temporum.
Tu lapsos rursum attollis, firmasq; labantes.
Incolumesq; foues
Vitæ beatæ commodis.
Te volucrum pecudumq; genus, te sæua ferarum
Sæula respiciunt
Vnum, suoq; tempore
Accipiunt victum. tu dextram pandis, & omne
De locuplete penu
Animal benignè recreas.
Quicquid agis, iusteq; & sanctè agis: impiger aurem
Supplicibus facilem
Præbes: opisq; compotes
Dimittis puro qui pectore cunque precantur:
Auxilioq; pijs
Præsens es, & periculis
Eruis cunctis qui te venerantur amantq;:
Cumq; suo scelere
A stirpe vellis impios.
Ergo omnes te iure canent, nomenq; tacebit
Natio nullum tuum
In sæculorum sæcula.

PSAL.

PSAL. CXLVI. *Lauda anima mea Dominum, &c.*

ARGVMENTVM.

Clementiam, rectumque numinis canit,
Et admonet non esse in his mortalibus
Nobis locandam spem, sed in summo patre.

CARM. GEN. 6.

TE magne rerum conditor, & tuas
Sonabo laudes, factaq; posteris
Miranda prodam, dum recurret
Per calidos mihi sanguis artus.
Securitatem ne stabilem tibi
Promitte, regum præsidio: neque
De stirpe mortali & caduca
Pone tibi columen salutis.
Vt membra liquit spiritus, in suam
Terrena moles terram abit: & diu
Consulta vanescunt, & auras
Irrita per vacuas feruntur.
O ter beatum quem Deus ætheris
Fido tuetur præsidio! suas
Qui spes opesq; in vno
Constituit Domino Deoq;,
Qui terram & æquor condidit & polum,
Et quicquid æquor terraq; continet
Poluſq; : qui promissa præstat
Perpetuo stabilis tenore.
Qui nec tyranni vi sinit opprimi
Infirmiorem, aut esurie premi:

Qui carcerem exemptos tenebris
Compedibus leuat innocentes.
Qui nocte pulsa, luminis aurei
Cæcis refundit luminibus iubar:
Gressusq́ firmat claudicantes,
Iustitiamq́ amat æquus æquam.
Cura fideli qui fouet aduenam,
Orbæ marito qui viduæ fauet,
Orbos puellos qui tuetur,
Et scelerum labefactat artes.
Rex ergo habenas imperij tuus
Sion tenebit, sydera dum polum
Pingent, & obliquum per orbem
Sol rutilos agitabit axes.

PSAL. CXLVII. *Laudate Dominum, quoniam, &c.*

ARGVMENTVM.

Hortatur ad laudes Dei gentem suam,
Huic pollicens fore, vt reducta barbara
A seruitute, in patria tandem sua
Quiescat: & benignitatem numinis,
Clementiamque singularem prædicat
In pij Iacobi filios, quos diligit.

CARM. GEN. 2.

Ela Deum laudate: Deo date carmina digna
Certè erudito dignus ille est carmine.
Qui Solymam instaurat rursus, passimq́ per orbem
Sparsos reducit exules Abramidas:
Qui fractos animi leuat, & corda anxia lenit:
Mulcet

Mulcet dolores, mitigatq; vulnera.
Qui numerat tacito labentia sydera mundo,
Suisq; quæq; nuncupat vocabulis.
Magna Dei virtus, immensa potentia: nulla
Quam lingua fari possit, aut mens cogitet.
Qui mite ingenium fouet, alleuat, auget honore
Humiq; sternit impiam superbiam.
Eia Deum cantate, Deo persoluite grates,
Grato benignum canite patrem barbito.
Qui cœlum obnubit tenebris, terram rigat imbre
Montesq; læto vestit altos gramine:
Qui pecudum genti larga dat pabula dextra,
Coruoq; victum se roganti sufficit.
Quem neq; magnanimum delectat robur equorum,
Nec vis ferocis aut lacertus militis:
Sed pietas animi simplex, & in illius vna
Quæ spem salutis collocet clementia.
Eia Dei laudes Solymæa pangite turres:
Benignitatem mons Sionis prædica.
Qui portarum aditus claustris firmauit aheneis,
Ciuesq; cunctis commodis auxit tuos:
Qui te pace beat læta, & defendit ab hoste:
Et messe flaua tritici campos tegit.
Cuius ad imperium fundit sua munera tellus:
Natura cuius prompta paret iussibus:
Qui niuibus celsos operit, ceu vellere, montes:
Densas pruinas cineris instar deijcit.
Et glacie lapsus solidarum frænat aquarum:

Cuius rigorem quis feret mortalium?
Quum libuit, molles glacies tabescit in vndas,
Aspirat aura mitior, riui fluunt.
Ostenditq; suam per signa illustria mentem:
Legesq; Abrami tradidit nepotibus:
Non ita se populis alijs monstrauit amicum,
Qui scita legum nesciunt cœlestium.

PSAL. CXLVIII. Laudate Dominum de cœlis, &c.

ARGVMENTVM.

Inuitat omnia ad celebrandum patrem,
Terras, polos & æquora.

CARM. GEN. 10.

LAudate Dominum cœlitum
Chori beati, qui procul
Contagio mortalium
Templa ætheris tuemini.
Laudate Dominum, quos sibi
Adesse iussit Angelos:
Laudate Dominum exercitus
Parere prompti iussibus.
Laudate Dominum, qui diem
Sol, luna noctem illuminas.
Laudate Dominum lucidis
Stellæ decoræ flammulis.
Laudate eum rotatiles
Tot orbium compagines,
Et vnda longè celsior
Campis nitentis aëris.

Huic

Huic cuncta laudes dicite,
Numenq; cuncta pangite
Quod cuncta nutu condidit,
Et cuncta nutu sustinet:
Fixitq; firmo cardine,
Ne vi senectæ corruant:
Certisq; vinxit legibus,
Quas transgredi non audeant.
Laudate Dominum sub specus
Terræ dracones abditi.
Et vasta cete, quæ sinus
Ponti repostos finditis.
Ignes, niues, & grandines,
Vaporq; & auræ spiritus,
Ad iussa Domini mobiles
Circumrotantes turbines.
Colles feraces, & feri
Montes, & omnes arbores,
Seu montibus rigescitis:
Seu cultibus mansuescitis:
Mites feræq; bestiæ,
Humiq; lentè reptiles,
Et quæ liquentes aëris
Campos volando carpitis:
Reges & orbis præsides,
Et nationes liberæ,
Et pauperi plebeculæ
Qui ius ab alto dicitis:

Et vos iuuenta floreà
Læti puelli & virgines,
Senesq̃ vitæ in vltimo
Iamiam exituri limine.
Laudate Dominum: numini
Sit eius vni gloria,
Vnumq̃ noscat omnium
Cœlum solumq̃ principem.
Hunc omne in æuum laudibus
Propago tollat Isaci:
Sibi dicatam qui bonis
Gentem beauit omnibus.

PSAL. CXLIX. Cantate Domino canticum nouum, &c.

ARGVMENTVM.

Hortatur ad laudes Dei gentem suam
Huic pollicens fore, vt reducta barbara
A seruitute & patriam tandem suam
Teneat, & imperium augeat pristinum.

CARM. GEN. 13.

CANtate Domino canticum
Nouum: sonet laus illius
Cœtus per omnes, qui sacris
Non se profanis polluunt.
Oblectet Isaci genus
Authore se suo: suo
Regi Sionis arduæ
Congratulentur filiæ:

Nomen

Nomen celebrent illius
Lætis choris & tympanis:
Eiusq; laudes accinant
Blandè canoro pectini.
Gentem bonus parens suam
Amore sancto amplectitur,
Mitemq; mansuetudinem
Firmat salute immobili.
Cœtus piorum vt gestiant
Foris paratu splendido,
Domiq; secum clanculum
Lætentur in cubilibus.
In ore, rerum præsidis
Laus continenter personet:
Vtrinque acuti in dexteris
Vibrentur enses vindices.
In se ferarum vt gentium
Crudelitatem vindicent:
Et in futurum iras, minas,
Superbiamq; comprimant.
Reges suorum vt hostium
Arctis catenis alligent,
Et ferreis coërceant
Vinclis feroces principes.
Pœnas secundum cœlitus
Præscripta ab ijs vt exigant,
Et laus piorum peruolet
Omnis per orbis cardines.

PSAL. CL. *Laudate Dominum in ſanctis eius, &c.*

ARGVMENTVM.

Hortatur ad numen celebrandum patris
Summi Deorum omnes bonos.

CARM. GEN. 13.

Laudate Dominum, lucidum
Templum colentem ſyderum,
Qui vi ſuæ potentiæ
Firmauit orbis cardines.
Laudate Dominum fortiter,
Vbique geſtis inclytum.
Laudate magnitudinem
Captum ſupra mortalium.
Laudate Dominum bellicæ
Claris tubæ clangoribus:
Laudate Dominum nablijs,
Lyrisq́ꝫ blandè garrulis.
Laudate Dominum tympanis,
Choriq́ꝫ feſti cantibus:
Laudate Dominum fidibus, &
Sonore dulci tibiæ.
Laudate eum tinnitibus
Lætis canori cymbali.
Hunc cuncta laudent quæ trahunt
Vitalis auræ ſpiritum.

EIVS-

EIVSDEM GEORGII BVCHANANI HYMnus in Christum.

PRoles parentis optimi,
Et par parenti optimo,
De luce vera vera lux,
Verusq; de Deo Deus:
Iam fuscat ignorantiæ
Caligo crassa pectora,
Et nubilis erroribus
Mentes tenebræ contigunt.
Exurge sol purissime,
Mundoq; da diem suum:
Nostramq; noctem illuminans,
Erroris vmbram discute.
Dissolue frigus horridum,
Aruumq; nostri pectoris,
Calore lampadis tuæ,
Humore purga noxio:
Vt irrigatus cœlitus
Roris beati nectare,
Et centuplo cum fœnore
Cœleste semen proferat.

CARMINVM GENERA, QVIBVS IN HOC opere Poëta vsus est.

I. *Genus monocolon. Versus heroici hexametri, hoc modo:*

— — — vv — — — — — vv — —

Eo vtitur Psal. 18. 45.78. 85.89.104. 107.132.135.

II. *Dicolon distrophon. Versus prior hexameter heroicus, alter iambicus trimeter acatalectticus, ad exemplum Horat. lib. 5. Ode 16. hoc modo:*

— vv — — — — — vv — vv — —

v — vvv — — v — v — vv

Eo vtitur Psal. 2.10.20.24.57.60. 69.83.93.95. 97.108.109.118.126.136.

III. *Dicolon distrophon. Versus vnus iambicus trimeter acatal. alter dimeter acatal. vt Horat. 5. 1. hoc modo:*

— — vvv — — v — v — vv

— — vvv — — vv

Eo vtitur Psal. 3.6.21.22.27.34.38.39.41.44. 48. 53.62.74.76.79.87.92.110.112.115.120.127.133. 134.139.141.147.

IIII. *Dicolon distrophon. Versus 1. heroicus. 2. Almanius dactylicus tetrameter acatal. vt Horat. 1. 7. hoc modo:*

— vv

—vv—vv— — — —vv— —

— — —vv—vv— —

Eo vtitur Psal. 4.111.

V. Dicolon tetrastrophon. Vers. 1. 2. 3. Sapphicus hendecasyllabus, 4. Adonius, vt Horat. 1. 2. hoc modo:

—v— — —vv—v—v

—vv— —

Eo vtitur Psal. 5. 17.51.55.65.67.72. 90.101.103.

VI. Tricolon tetrastrophon. Vers. 1. 2. dactylicus, Alcaicus, acatal. 3. Iambicus Archilochius dimeter hypercatal. 4. dactylicus Alcaicus acataleet. vt Horat. 1. 9. hoc modo:

— —v— — —vv—vv

— —v— — —vv—vv

— —v— — —v— —

—vv—vv—v—v

Eo vtitur Psal. 7. 11.15. 19. 30. 46. 50. 56. 58. 77. 82. 91. 123. 125. 140. 146.

VII. Dicolon distrophon. Versus 1. Sapphic. 2. Iambicus dimeter, hoc modo:

—v— — —vv—v—v

— —v— — —vv

Eo vtitur Psal. 8.

VIII. Tricolon tristrophon. Vers. 1. 2. choriambicus

ambicus Asclepiadeus tetrameter. 3. Pherecratius heroicus trimeter acatal. 4. choriambicus Glyconius trimeter acatal. vt Hor. 1. 5. hoc modo:

— — — vv — — vv — vv

— — — vv — — vv — vv

— — — vv — —

— — — vv — vv

Vtitur eo Psal. 9. 64. 84. 130.

IX. Dicolon distrophon. Versus 1. heroicus 2. dactylicus Archilochius dimeter hypercat. vt Horat. 4. 7. hoc modo.

— vv — — — vv — — — vv — —

— vv — vv —

Eo vtitur Psal. 12.

X. Monocolon. Versus iambicus dimeter acatal, vt Prudent. cathemer. 1. hoc modo:

— — v — — — v —

Eo vtitur. 13. 31. 37. 47. 54. 59. 86. 96. 98. 117. 148. 149. 150.

XI. Dicolon distrophon. Vers. 1. choriambicus dimeter, Glyconius. 2. choriamb. Asclepiadeus, vt Horat. 1. 3. hoc modo:

— — — vv — vv

— — — vv — — vv — vv

Eo vtitur Psal. 14. 35. 43.

XII. Tricolon distrophon. Ver. 1. choriamb. trimeter. 2. tetrameter. 3. pentameter, vt Prudentius prologo Cathemer. hoc modo:

—

— — — vv — vv

— — — vv — — vv — vv

— — — vv — — vv — — vv — vv

Vtitur eo Psal. 16.

XIII. Dicolon tetrastrophon. Vers. 1.2.3. choriambicus tetrameter. 4. choriambicus trimeter, vt Horat. 16. hoc modo:

— — — vv — — vv — vv

— — — vv — vv

Eo vtitur Psal. 23.42.75. 99.102. 144.

XIIII. Monocolon. Vers. iambicus trimeter, vt Horat. 5.17. hoc modo:

— — v — — — v — v — vv

Eo vtitur Psal. 25.94. 106.

XV. Monocolon. Versus dactyl. Alcaicus acatal. hoc modo:

— — v — — — vv — vv

Eo vtitur Psal. 26.19.32.49.61.71.73.143.

XVI. Monocolon. Versus est choriambicus Asclepiadeus tetramet. vt Hor. 1.1. hoc modo:

— — — vv — — vv — vv

Eo vtitur Psal. 28.40.42.80.

XVII. Dicolon distrophon. Versus 1. Sapphicus. 2. choriambicus trimeter, hoc modo:

— v — — — vv — v —

— — — vv — vv

Eo vtitur Psal. 33.70.121.142.

XVIII. Dicolon distrophon. Versus 1. iambicus trime-

trimeter.2. pentameter dactylicus, hoc modo:

—v—v— —vvv— —v—

—vv— — — —vv—vv—

Eo vtitur Psal. 36. 63.

XIX. Dicolon tristrophon. Vers. 1.2. trochaicus dimeter, acatalecticus. 3. trochaicus catalecticus, hoc modo:

—v— — —v—v

—v—v—v—v

—vvv— —v—

Eo vtitur Psal. 86.

XX. Dicolon distrophon. Vers. 1. heroicus dactylicus 2. anapæsticus dimeter catalecticus, hoc modo:

— — —vv— — —vv—vv— —

vv—vv—vv— —

Vsus est eo Psal. 68. 88.

XXI. Dicolon distrophon. Versus prior heroicus hexameter, posterior iambicus dimeter, vt Horat. 5. 14. hoc modo:

— — —vv— — —vv—vv— —

— —v— — —v—

Eo vtitur Psal. 81.

XXII. Dicolon distrophon. Versus prior dactylicus hexameter, alter pentameter, hoc modo omnibus noto:

—vv— — —vv— — —vv— —

—vv— — — —vv—vv—

Vtitur

Vtitur eo Psal. 88.114. 137.

XXIII. Dicolon distrophon. Vers. 1. trochaic. dimeter catal. 2. iambicus dimeter acatalectic. hoc modo:

—v— — —v—

— —v—v—vv

Vtitur eo Psal. 100.

XXIIII. Dicolon distrophon. Vers. 1. trochaicus dimeter acatal. alter trochaicus dimeter catalecticus, hoc modo:

vvvvv—v—v

—v—v—v—

Vtitur eo Psal. 105. 129.

XXV. Monocolon. Vers. anapæstic. Pindaricus dimeter acatal. vt Boët. 1. 5. hoc modo:

—vv—vv vv—vv—

Vtitur eo Psal. 113.

XXVI. Dicolon tetrastrophon. Vers. 1. 2. 3. choriamb. trimeter. 4. dactyl. Pherecratius, hoc modo:

— — —vv—vv

— — —vv— —

Vtitur eo Psal. 116. 122. 128.

XXVII. Monocolon. Vers. trochaicus octonarius catalect. qualis est Prudent. Cathem. 9. hoc modo:

—v— — —v—v—v—v—v—

Vtitur eo toto Psal. 119. 124.

XXVIII. Monocolon Vers. iambicus Anacreontius

creontius dimeter catal. vt Boët. 3.7. hoc modo:

— — v — v — —

v — v — v — —

Eo vtitur Psal. 131.

XXIX. Tricolon tristrophon. Vers. 1. heroicus, 2. iambicus dimeter. 3. dactylicus Archilochius, dimeter, hypercatal. hoc modo.

— vv — — — vv — vv — vv — —

— — v — — — v —

— vv — vv —

Vtitur eo Psal. 138.

XXX. Tricolon tristrophon. Vers. ijdem, qui modò, nisi quòd secundus in locum tertij migrarit, hoc modo:

— — — vv — vv — — — vv — —

— vv — vv —

v — v — v — v —

Vtitur eo Psal. 145.

FINIS.

LB 4395

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg